

**D Y N A M I D I O R U M**

**L I B R I D U O.**



## INCIPIUNT CAPITA

## LIBRI PRIMI

## D Y N A M I D I O R U M.



I. De regionibus. II. De ventis. III. Prologus dynamidiorum. IV. De hordeo; humectat, refrigerat. V. De polenta; nutrit, calefacit, siccatur. VI. De pane crithino; refrigerat, humectat. VII. De tritico; nutrit, egeritur, fortior \* siglinus. VIII. De faba; nutrit, stringit. \* Ita cod. IX. De hormino. X. De piso. XI. De fasiolo. XII. De cicere. XIII. De lenticula. XIV. De milio et panicio. XV. De ervo. XVI. De uridia. XVII. De lini semine. XVIII. De lupino; lumbricos, tineas, alopecias. XIX. De herysmo; humectat. XX. De sesamo, egeritur, replet. XXI. De apio; urinam, stomachum, tumores, venena, renes, lippidos, variolam, febrem. XXII. De menta; refrigerat, ignem sacrum, vulnera capitis, caliginem,

---

(1) Atto vercellensis in polyptici editione priore Coll. vat. T. VI. part. II. p. 58. ait: *Deligat unguenta a summis dynamidiis.* Ibi vero antiquus scholiastes sic explicat: *libris medicinalibus. Dynamis dicitur potestas et vis herbarum; unde etiam dynamidia dicuntur, ubi earum medicinae vel curationes scribuntur.* Hoc autem vocabulum in lexicis collocandum est.

reicientes sanguinem , semen minuit. XXIII. De s-  
symbrio ; calidum est , urinam , singultum , ventris tor-  
siones , capitis dolorem , vesparum , apum , vomitum ,  
oculorum tumores , aurium tumores , XXIV. De beta ;  
ventrem stringit , ventrem movet , caput purgat , fur-  
furias. XXV. De caulibus ; ventrem movent , aurium  
dolores , lumbricos , sella. XXVI. De malva ; purgat ,  
apes , scorpiones , ignem sacrum , adustos , partum , vul-  
nera. XXVII. De cucurbita ; ventrem movet , oculorum  
tumores , podagram , aurium tumores. XXVIII. De atri-  
plice ; humida , frigida , ventrem movet , furunculos ,  
ictericos , podagricos. XXIX. De bleta ; frigida est ,  
choleram movet , scorpiones. XXX. De lapacio ; ven-  
trem reprimit , urinam movet , ructum , stomachum ,  
strumas. XXXI. De coriandro ; calidum est , somnum  
facit , tumores , morsum canis , lumbricos , venerem ,  
canos tingit. XXXII. De lactuca ; frigida est , fastidium  
tollit , sanguinem , lac mulieribus , combustis , venerem .  
XXXIII. De intybo ; stomacho , veneri , cardiacis , ocu-  
lis. XXXIV. De anetho ; calidum est , constringit ,  
sternutamenta , stomachum , caput , vertigines , ructus  
acres , somnium , torsiones. XXXV. De pastinaca ; ca-  
lida , austera , iocineris , renium , lumborum , venerem ,  
menstrua , matricem. XXXVI. De rapanapis ; calidi ,  
conturbant , urinam , dysenteriam , venena. XXXVII. De  
ocymo ; stringit stomachi ructus , ventrem stringit , uri-  
nam movet , vomentes sanguinem , capitis dolorem ,  
sternutamenta , epiphoras oculorum. XXXVIII. De olu-  
satro ; calidum est , stomachum , urinam , nimium su-  
dorem. XXXIX. De portulaca ; oculorum tumores , po-  
dagricos. XL. De escaria ; internos dolores , ictulentos .  
XLI. De abrotono ; calidum est , oculorum tumores ,

furunculos , suspiriosis , urinam , scorpiones , menstrua .  
 XI.II. De ruta ; venena , caligines , inflationes stomachi ,  
 torsiones , sanguinem narium , inguinis dolores , oculo-  
 rum capitis , plagae , cardiacos , letargicos , ignem sa-  
 crum , nimium semen fluens , urinam , menstrua , ve-  
 nena , intestina , latus , pectus , suspiriosis , tussienti-  
 bus , peripleumonis , coli , matricis , lumbricis , arthri-  
 ticas , hydropicis , testiculis , maculis , auribus antidot-  
 um est . XLIII. De foeniculo ; calidum est , elevando ,  
 desiccando , oculorum cicatrices , caligines , aurium vul-  
 nera , hydropicos , veretrum , canis m orsum , urinam mo-  
 vet , lac mulieribus . XLIV. De petroselino ; urinam ,  
 menstrua , colum , stomachum , intestina , latus , re-  
 nes , vesicam . XLV. De panagorace ; calida est , tus-  
 sientibus , ventrem movet . XLVI. De cucumere ; frigi-  
 dus est ; sitim arcet , alopecias , urinam . XLVII. De  
 pepone ; frigidus est , oculorum fervores , caninum  
 morsum , mingitur . XI.VIII. De carduo ; frigidus , alo-  
 pecias , matricem . XLIX. De papavere ; restringit , de-  
 siccatur , somnium facit , articulis , phreneticis , capitis  
 dolori . L. De nasturtio ; calidum est , flegma constrain-  
 git , urinam obdurat , somnium , carbunculos , panicu-  
 las . LI. De nymphaea . LII. De eruca ; calida est , vene-  
 rem movet , urinam , digeritur . LIII. De satureia ; cali-  
 da est , venerem movet , urinam , ventrem , letargum .  
 LIV. De eculo . LV. De asparago . LVI. De gladio .  
 LVII. De senecione . LVIII. De brateo ; ignem sacrum ,  
 carbunculos , morbum regium , intrinsecus dolores ,  
 quartanas , tabescentibus . LIX. De salvia ; ventri , ano .  
 LX. De cerefolio ; stomachum . LXI. De rosa germanica ;  
 oculos , stomachi defectum , fauces . LXII. De crino ;  
 serpentium , canis morsum , luxaturas , combustos , ma-

tricem. LXIII. De libestico ; calidum est , urinam movet , nephriticis. LXIV. De damasonio ; epilepticis.

## I. INCIPIT DE REGIONIBUS.

Regiones , atque unicuiusque positionem et naturam , qualiter se habeant indagabo , ut agnosci possunt. Meridiana pars calidior sicciorque est magis , quam septentrionalis ; quia proximior est sol. In his autem regionibus necesse est ut gentes , et quaecumque de eadem nascuntur , sicciora et fortiora sint ; ut puta Africae , Libyae ; contra Pontus et sibi adiacentia ex utraque parte. Ipsae etiam regiones inter se habent differentiam : nam quaecumque fuerint altiora loca , frigidiora sunt his campestribus quoque , quae inter septentrionalia habentur ; sicciora sunt his quae adversa fuerint in iisdem locis , ob hoc quia magis habundant humore : in illis imbre non tenentur , in his autem tenentur , in iisdemque stagnorum palustria calefaciunt et humectant , ideo quia cavis conclusus locis detinetur humor , nullumque potest habere spiramentum : humectant autem ideo quia terra quae parit humida sunt , quibuscum homines nutriuntur. Sed et spiritus ipse , quem accipimus , gravior propter humorem qui in mobilis habetur. Sed et illa loca quae cava sunt , et carent humore , et sicca sunt ; et calida quidem , quia cum sint in valle , conclusa sunt . Sic et ipse modicus humor per fructus succedit ; quoniam spiritus , quem accipimus , cum sit siccus , humorum qui in nobis est ad suum trahit nutrimentum ; non inveniens forum cibus colatur ; et sic efficitur ut nostra corpora siccentur. Nec non et illa regio , quae in meridiano posita montibus obscuratur ab eadem parte aus-

trali, perniciosum turbulentumque patitur aquilonem. Similiter et illa quae in septentrionali posita montibus subiacet, perniciosum patitur aquilonem. Sed et in aquilone regio quae fuerit in planicie posita, habuerit autem vicinas civitates; vel ex mari insulas, quae subiacent ventis calidis aestivis, perniciosa est, ideo quia neque aquilone plurimam suscipiat auram, neque gravantibus pluribus ventis calidis potest ullum refrigerium habere. Insulae quoque quae Ibero subiacent, frigidiores sunt, hiememque habentes propriorem, ob hoc quia nives et glacies in Ibero diu manent: atque hinc frigidior ventus *afflatur* adiacentibus insulis. Nives autem quae vicinae sunt pelago, minus possunt soliditatem habere. In hieme vero ventorum singulorum vis et natura agnoscenda est.

## 2. DE VENTIS.

Natura quidem omnium ventorum humectare et refrigerare novit non solum corpora animantium, verum etiam ea quae terra parit, ob hoc quod venti omnes transitum per nives habent, glacies, et flumina, et insulas: et quidem validiores venti maiora et fortiora transeunt loca. Nam et animantibus quibusdam validior, aliis vero inbecillior est spiritus. Inmutantur etiam venti iuxta naturam, ut frigidiores, calidiores fiant; sic et contra humidiiores, sicciores et salubriores. Causa autem huius rei ita dinoscenda. Aquilo frigidus flat, qui talia pertransit loca quae minus inlustrantur a sole. Auster vero et ipse pertransit nives et glacies nimios. Et sicut aquilo exoritur frigidus, et cum radiis solis fuerit exhaustus et amiserit humorem, transit per loca calidiora,

\*

inmutatur in siccum et calidum , quemadmodum in Africa. Illic enim huius flatu non solum fructus sed et germen omne arescit. At vero cum pelagus transierit , humidus iam et calidus et rarus repletur maris humore. Simili ratione et alii venti repperiuntur. Qualitates autem locorum et ventorum sic se habent. Venti qui ex mare surgunt sive de nivibus vel aquis , universi humectant et refrigerant et salutem praestant. Illi autem perniciosi sunt qui maximas inmutationes corporibus faciunt , hoc est calidi et frigidi. Haec autem patiuntur illi qui in regionibus palustribus habitant iuxta maxima flumina. Illi autem venti qui hominibus prosumt , qui que et serenitatem faciunt et aërem purissimum. Hi vero venti qui per terram veniunt , carent humore , quia a terra siccantur , et pernicem inficiunt et arboribus et animantibus. Sed et illi qui de montibus inruunt , non solum siccant sed etiam conturbant spiritum , quem inspiramus , et valitudines creant.

### 3. PROLOGUS

## D Y N A M I D I O R U M .

**I**gitur virtutem et naturam singulorum ita debemus agnoscere , qualiter ad singula parati esse debeamus : itaque cibi et potus virtutem et naturam , sive illam quae naturalis est , sive eam quae per artem fit , ita debemus agnoscere : quoniam multi de his rebus temptaverunt dicere , id est de suavitate , de pinguedine , de salsitudine , et ceteris , nihil tamen integre de eorum virtute agnoverunt. Neque enim eiusdem virtutis sunt omnes species quae videntur : est enim dulce quod faci-

le egeritur , aliud restringit , aliud vero siccatur . Sunt aliae species quae cum videantur viscidae , facile egeruntur : sunt vero aliae quae neutrum faciunt : nec non et calidae species , et aliae quam plurimae varias habent virtutes . Quoniam ergo simul de omnibus dicere non oportet , singularum specierum virtutes ut se habent explanabo .

## L I B E R I .

4. De hordei virtute . Hordei natura humida est et frigida . Purgatorium palearum ut agnoscas , hordeum non frixum coque in aqua , et videbis defluentem sucum copiosissimum . Si vero frixeris hordeum , refrigerabit et restringet . Item si adusseris , id quod est humidum aut purgatorium perit , et erit frigidum et siccum . Ergo cum volueris refrigerare , ut libet , facies de polenta sed et maza cibos .

5. De polenta id est farina hordei . Quidquid assidue utimur , huiusmodi habet virtutem . Farina consparsa virtutem quidem non habet magnam ; facilius tamen egeritur : magis tamen nutrit , si fuerit candida , et egeritur consparsa . Ergo adroratum minusque madefactum levissimum est , quia maxima pars cibi cum vento egeritur ; praecludit enim aditus per quos cibus alium cibum supervenientem minus praevallet suscipere . Id ergo quod spiritui sociatum et adtenuatum fuerit , ventos creat , sursum ructatur ; pars vero per inferiores meatus egeritur . Maxima ergo pars supra memorata cibi ita consumitur : quia polenta natura cum sit calida , minusque acceperit aquae , omnes humores consumit qui in ventre sunt ; et necesse est illum siccare simulque refriger-

rare partem aquae quae cum polentis fuerit ingesta. Omne igitur quod volueris siccare , sive fluxum ventris sive aliud quodlibet calore laesum , hoc genere passioni medeberis. Polenta vero sicca , trita minus siccatur ; ideo quia quae densa sunt , nutriunt corpus , paulatim chymum conficiunt, et facile penetrant aditus corporis : unde fit ut tardius egerantur. Ventos itaque non creant neque ructus. Illa vero quae prius consparsa , postea trita fuerint , minus quidem nutriunt ; sed facile egeruntur , et ventos creant , et ciccon de quo . . . fecisse panem cum polentis: solutum \* in aqua refrigerat et nutrit ; in vino autem calefacit, nutrit, et restringit ; in melle etiam calefacit , minus nutrit , sed magis egeritur , nisi mellis fuerit abundantia ; quae si fuerit , restringit.

\* Cod. so-  
lum.

6. De pane crithino , hoc est hordeaceo. Tritus levior furfuribus , et quod exinde factum fuerit , male egeritur , eaque qui saginantur fructibus refrigerant et humectant. Sicciora veteribus qui nutritibili abundant calore , et manibus vel opere diu tractata vigent. Cum autem veterascunt , amittunt calorem. Triticum trimixtum levius furfuribus ; magis tamen egeritur atque saginat et humectat. In cibo et sorbitione polenta sive farina, si recens sit, siccior est vetere; ideo quia et natura abundat calore , et manibus vel opere diu tractata fastescit ; quia cum veterescit , amittit calorem. Panis calidus siccatur , frigidus minus , multo minus siccus , sed ex parte extenuat.

7. De tritico. Tritici virtus fortior est hordeo , et melius nutrit , sed non sic egeritur. Panis quidem eius nutrit et egeritur. Fermentacius quidem levus est , quia austeritas fermenti consumit humorem , qui nutritiri solet ; egeritur autem , quia cito conficitur. Azymus au-

tem tardius egeritur, sed magis nutrit. Is etiam qui suco conspergitur, levissimus est, nutrit, et egeritur, et levis est propter spumam qua conspersus est: quo suco non solum fermentatur triticum, sed et adnectitur ei quae digestio appellatur. Item ex ipsis panibus qui maximi fuerint, melius nutriunt, quia humor qui inest, non facile exuritur. Panes in furno cocti magis nutrit, quia minus exuruntur. Focativus vero valde siccus est, quia in cineribus amittit humorem; clibanitivus vero in testo. Fortior his omnibus est siliginus: sed et ii qui de grossa farina fuerint facti, fortius nutrit, sed non valde egeruntur. Similiter et cacabatius panis calidus siccatur, frigidus vero multo minus; siccus ex parte extenuat. Simila etiam in lacte cocta egeritur, magis tamen si in aqua coquatur, egeritur et refrigerat. Simila in melle et oleo cocta, aut frixa, exurit propter pinguedinem et dulcedinem; quia cum dissimilia sint, et non debeant similiter coqui, in unum mixta rem contrariam faciunt. Siligo vero cocta vel farina fortissima stercora nutrit, sed non egeruntur.

8. De faba. Nutrit, et stringit, et ventrem curat, et replet, quia supervenientem non omittit suscipere meatum. Servatur autem, quia modicas reliquias habet cibus.

9. De hormino, hoc est de faba. Nutrit et stringit, et ex parte refrigerat. Faba fracta nutrit et ventrem producit. Tumoribus oculorum magnum remedium est.

10. Pisum minus inflat, sed magis egeritur.

11. Fasiolum magis egeritur, et minus inflat, nutritque optime.

12. Cicer album et nigrum molliunt, et urinam pro-

vocant. Et nutrit quidem id quod in illo carnosum est ; quod vero dulce fuerit , provocat urinam etiam , et egeritur.

13. De lenticula. Lenticula deducit ventrem magis et urinam.

14. De milio et paniclo. Milicina farina cum sicca est restringit : cum caricis mixta fortiter medetur : volentes vero ipsum milium comedere , saginat quidem , sed non egeritur.

15. Ervum fortissimum est , et restringit , saginat , decorum facit hominem.

16. De uridia. Uridia constringit ventrem , et tarde egeritur.

17. De lini semine. Lini semen nutrit , restringit , et ex parte refrigerat.

18. De lupinis. Lupini naturae calidae et fortissimae sunt : sed cocti leviores sunt et frigidiores , et egeruntur : lumbricos et tineas ventris excludunt , triti cum caricis in umbilico positi. Elixatura eius alopecias infantium curat.

19. De herysimo. Herysimum humectat et egeritur.

20. Sesamum egeritur et replet et saginat ; egeritur quidem cortex ; sucus eius replet et humectat ; etiam exurit propter insitam sibi pinguedinem. Saginat igitur et caro ipsius ; sed solum minus egeritur.

21. De oleribus hortensibus. Apium virtutem habet calidam et acriorem ; mingitur , urinae difficultatem resolvit ; radices vero eius magis egeruntur , quia ipsum apium magis mingitur quam egeritur. Coctum in aqua stomachi ardores compescit , tumores et inflationes tollit. Folia eius trita cum pane in aquam fusa cum ro-sacio . . . . Aqua ubi radix eius coxcrit , contra venena

prodest, et dolorem renium sublevat. Trita eius folia cum pane superposita lippitudini medetur, et omnem tumorem conspicit. Ipsum apium viride tritum corpore infrcito, ubi vis quod variola non transeat; iuvat. Semen apii tritum, et aliud tantum semen anethi, similiter semen hyoscyami, opii comae medium tantum, trita et cibrata, conpersa aqua, pillulae figurentur. Si febres adfuerint, una aut duae in aqua solutae cubitum euntibus dentur. Mirum est.

22. Menta virtutem habet calidam \*. Sucus eius cum aceto et sulphure ignes sacros tollit, tumores et vulnera capitum curat. Sucus eius cum melle attico et felle perdicis, caligines extergit, vomicam stringit. Sucus eius cum aceto potatus sanguinem reiicientibus prodest. Sucus eius cum mastice, catapotia facta, si glutiatur, vomicam sedat. Item menta calefacit et mingitur; quam qui frequenter comedere, privabitur semine, minusque valebit.

23. Sisymbrium virtutem habet calidam. Semen eius cum vino. potui data difficultatem urinae et calculum sedat et frangit, singultumque et torsiones intestinorum sedat. Folia eius trita, et fronti vel temporibus inposita, dolorem capitum extinguunt, contra ictus vesparum vel apium prosunt. In potu datum vomitum reprimunt. Folia eius trita cum calida; si non febrib, cum vino; miraberis. Ad tumores oculorum folia eius trita cum melle, modicum cataplasma, ad aurium tumores cum rosaceo adhibe.

24. Betae genera sunt duo, nigra et alba: nigra ventrem stringit, maxime cum lenticula et aceto cocta: alba commoda ventri. Sucus radicis eius cum melle mixtus naribus iniectus caput purgat: elixatura eius furfures capitum tollit: sucus eius deducit ventrem; ole-

\* Cod. al.  
refrigeratoriam.

ra ipsius restringunt ; sucus aut elixatura eius ex radicibus fortius deducit.

\* Cod. co-  
cumanus.  
et mox cu-

cumanus.  
\* Cod. al-  
sessibilis.

25. Caulium genera sunt quinque , cumanus \* , pompeianus , aricinus , sabellicus , brutius ; una virtus calida. Cumanus fissilis \* in capite , fusis et latioribus foliis. Pompeianus ex una parte tenuissimus totum corpus in caput contrahit tenerum ; alias contra figura informi. Aricinus frequentibus foliis ; sed qui tamen alio modo pensat quae reciduntur ; plurimum caulum renascitur. Sabellicus vero est crispus , saepe dulcissimus , crassus in foliis , colore maculentus. Brutius altissimus , fruticis tenuissimi , caulis duri , in cibo utilissimi , et ventrem movet et urinam. Sucum eorum cum vino mixtum in aurium dolores stillato. Semen eorum cum vino tritum potatum lumbricos et tineas ventris calcifacit , et fel deducit.

26. Malva virtutem habet purgatoriam , ventrem et vesicam movet in cibo sumpta ; trita cum rosacio apium ictus conpescit etiam ante quam percutiant : folia eius trita cum axungia vulnera recentia curant : semen eius cum vino tritum , contra scorpionum ictus potatur : folia eius cum vino trita ignem sacrum et quae adusta sunt sanant. Tradunt etiam partum feminae liberari , si malvarum folia subter iacta sint ; quae partu edito , mox oportet auferri , ne matrix sequatur. Recentia vulnera malvarum et salicis folia trita sine mora ad sanitatem perducunt.

27. De cucurbita. Cucurbita calida est et humida : in cibo sumpta ventrem mollit : rasura eius oculorum tumores tollit : trita cum polenta podagrae tumores tollit : sucus earum rosacio mixtus aurium dolores et tumores tollit.

28. De atriplice. Atriplex humidam et frigidam virtutem habet: in cibo ventrem solvit: folia trita fūrunculos curant: semen eius tritum cum vino ictericos curat: folia eius trita cum melle et nitro podagrac tollit fervorem.

29. Bletus \* virtutem habet frigidam et glutinosam: in cibo frequenter sumptus stomachum evertit, choleras movet: folia eius trita scorpionum ictui impone, et cum vino potui da.

\* Index  
bleta.

30. De lapacio. Lapacium hortense, sive rumex, calidius et austrius est: in cibo ventrem reprimit, urinam provocat, ructum excitat, stomachum confortat: in vino coctum tritum strumas et parotidas curat, et omnes tumores spargit.

31. Coriandrum calefacit et stringit; somnum ctiam facit, cum melle et uva passa tritum inpositum omnes humorum collectiones conpescit: tritum cum aceto morsui canino succurrit: sucum eius cum oleo mixtum pota contra lumbricos et tineas. Semen eius in dulci vi- no datum proniores reddit in venerem: si supra modum dederis, amentiam nutrit: canos ex coriandro infici traditum est.

32. De lactuca. Lactucae natura frigida est, non tamen noxii rigoris: in cibo sumpta fastidium et languidos iuvat, prius quam habeat sucum: inbecillum tamen corpus facit ex parte: sanguinem adquirit, lactem plurimum nutrit feminis: trita cum sale combustis medetur. Haec et in viris veneris usum coercet.

33. De intybis. Intyborum genera sunt duo, subamarum et dulcius; stomacho adcommoda, ventrem stringunt: tritum cum aceto cardiacis impone in sinistra mamilla: tritum cum polenta oculorum doloribus

inpone. Nascitur circa fontes et paludes mollis et quodammodo fungus. Dicta vero intybus, quia ab aqua inflat.

34. De anetho. Anethum calefacit et constringit: naribus adpositum sternutamenta prohibet: defectum stomachi curat: capitis dolores et vertigines sedat: in aqua coctum potatum indigestiones et acres ructus tollit: in oleo coctum, capite uncto, somnum facit: semen eius cum vino tritum torsiones ventris et intestinorum tollit.

35. De pastinaca. Pastinaca calida et austera in radice et semine: radix eius in mulso cocta datur ieiunis ob renium et lumborum dolores: in cibo sumpta venereum stimulat: semen eius cum vino tritum menstrua provocat, et matricis suffocationes tollit.

36. De rapanapo. Rapanapi calidissimi sunt et conturbant corpus: non deducuntur, sed minguntur: tritos cum melle dysentericis da, cataplasma ad umbilicum et renes: semen eius cum vino contra venena datur, et urinam movet.

37. De ocymo. Ocimum stringit, et stomachi inflationes et ructus discutit: coctum cum aceto supprimit alvum fluentem: urinam movet: sanguinem reicitibus morsu frigido \* capitis dolorem cum rosacio: semen tritum haustum naribus sternutamenta compescit: tritum epiphoras oculorum tollit.

38. De olusatro. Olusatrum calidum et austerae virtutis: coctum in oleribus commodum stomacho: crudum commixtum multum calefacit, urinam movet: radix eius in mulso cocta difficultates urinae expellit: succum radicis eius pota contra nimium sudorem: semen eius tritum cum vino calculum frangit.

\* In al. cod.  
lacuna loco  
*τοῦ frigi-  
do.*

39. De portulaca: Portulaca recens refrigerat, calefacta vero calefacit et refrigerat: ad oculorum tumores trita cum pane inponitur, similiter podagricis.

40. De escaria. Esoaria habet virtutem medendi omnibus doloribus internis hepatis et stomachi: sucus eius cum pulvere piperis potui detur, similiter et iunctulentis.

41. De abrotono. Abrotonum virtutem habet calidam: folia eius trita cum malis cydoniis cocta oculorum tumores tollunt: trita et cocta cum polenta hordeacea furunculos spargit: semen eius suspiriosis datur, et urinarum difficultates solvit: contra scorpionum ictus cum vino potatur: cum vino potatum menstrua solvit: et ad fistulam multum prodest potum cum vino et corona superposita.

42. De ruta. Ruta hortensis nimium \* virtutis calidae, cum vino potata omnia venena expellit. Sucus foliorum eius cum melle attico caligines discutit. Cum melle sumpta inflationes stomachi tollit. Semen eius tritum cum vino

\* Cod. al.  
non ni-  
mium.

torsiones ventris tollit: frequentius odorata sanguinem de naribus restringit: semen eius cum sulphure vino et aceto ieiunus gusta. Si coquatur in oleo, et post commisceatur cera, et ut cerotum in panno inducatur, inguinum doloribus prodest. Cum polenta trita epiphoras \* oculorum lenit: suco eius cum rore matutino collecto oculorum caligines inunge: trita cum melle et sale et pipere plagae inponatur. Ad cardiacos rutae fasciculus in rosacio decoquatur adiecto aloë . . . perungatur. Ad letargicos excitandos ruta et acetum infunditur fronti. Cum aceto et oleo ignem sacrum infinito. Ad aciem oculorum, folia eius frequenter ieiunus manducet: urinam et menstrua commovet: folia ipsius cum fico et nuce si quis ieiunus accipiat, veneri \* aditum claudit: si sac-

\* Cod. al.  
hypoph.

\* Ced. al.  
venezi.

pius hauriatur , seminandi substantiam negat: cum an-  
tho in aqua decocta si bibatur , torsionibus intestino-  
rum , lateris et pectoris doloribus , suspiriosis , tussien-  
tibus , peripleumonicis prodest : *ad* inflationes coli , ma-  
tricis , et longaonis per clysterem inice: si bibatur , lum-  
bricos necat : cum melle tritā et subposita suffocationi-  
bus mulierum post partum subvenit : in cataplasmate

\* Cod. al. \* Cod. al. arthriticos \* dolores mulcet: hydropticis qui humorem/int-  
artericos. tercutem habent cum fico tritam et cum vino ad medias  
decocto ipsam rutam potui da : sola autem si teratur ,  
naribus inculcata sanguinem sedat : cum lauro trita te-  
sticulis apposita dolorem sedat : trita cum nitro et pipe-  
re si fricitur , maculas albas purgat ; sucum eius calefa-  
ctum in cortice mali granati auribus dolentibus instilla :  
sucu eius cum suco foeniculi et melle caligines oculo-  
rum inunge : sucus eius cum aceto et cera et rosacio in-  
linitus ignem sacrum , et acoras , quae puerorum capita  
nudant , purgat. Sucus eius cum aceto et rosacio capit  
dolenti instillatur , et cum vino eis potui datur. Ruta  
cum vino trita antidotum est.

43. De foeniculo. Foenicum calidam virtutem ha-  
bet et infinitam , non tamen simplicem , sed cui etiam  
austeritas mixta sit , ut gustus ostendit , et multa prae-  
terea per quae clevandi et extenuandi vel desiccandi ha-  
bet potestatem. Oculorum vulnera et cicatrices curat.  
Sucum foliorum eius , partes duas mellis , acapni partem  
unam , tepidum oculis infunde. Radix eius in aqua cocta  
caligines foveat : sucum eius infunde in aurium vulnera :  
radicem eius in vino coctam hydropticus potet: vere-  
trorum causae radice eius in vino cocta foveantur : folia  
eius trita cum melle canino morsui subveniunt : semen

tritum cum vino , urinarum difficultates iuvat et lactem provocat.

44. De petroselino. Petroselini semen tunsum et cibratum scripulos tres ex aqua calida acceptum , urinam et menstrua movet : colo , stomacho , intestinis , lateri , renibus , vesicae , prodest : diureticis quoque antidotis admisetur.

45.. De panagorace. Panagorace causticam virtutem habet et calidam : folia eius in mulsa cocta tussientibus prosunt. Semen eius tritum cum pipere et mulsa ventrem et urinam movet , et calculos frangit.

46. De cucumere. Cucumeris natura frigida est , stomacho incommoda : radix eius in aqua cocta sitim arcet : sucus eius alopecias tollit : semen eius urinam movet.

47. De pepone. Pepo est nimium frigidus : difficile digeritur propter naturalem rigorem , nisi cum pulegio aut aliqua re calida commisceatur. Carnes eius oculorum fervores tollunt : semen eius tritum cum vino potatum canino morsui subvenit : mingitur , egeritur , et flat.

48. De carduo. Cardui natura mordax et subaustera est , mollis et indigesta : ideo sucus eius alopecias expellit , matrici utilissimus est.

49. De papavere. Papaver restringit quidem et replet , et est fortissimum , sed illud quod est nigrum , et eius sucus magis egeritur. Sed cum volueris aliquid desiccare , suco ipsius recens carnibus <sup>\*utaris</sup>. Nam genera papaverum multa sunt , quae in hortis inseruntur : aliud papaver minus efficax soporiferum est , quia minoris est rigoris , quod paulatim cubitura decoxit : folia eius cum rosacio trita tumorem articulorum tollunt : calda , in qua coixerint capita eius , caput phre-

\* Ita codd.

netici foveto : somnum facit : semen eius tritum cum aqua capitis dolorem tollit , et somnum facit.

50. Nasturcium calidum est , et conficit carnes , ita ut constringat phlegma , et obduret meatum urinarum : semen eius tritum cum fermento duricias omnes tollit , et carbunculos curat : semen eius tritum cum aqua panniculas curat \*.

\* Cod. al.  
spargit.

51. Nymphaea , cum semen suum in vino tritum potatur , dysenteriam sanat : rades , et dabis manduca-re cotidie.

52. Eruca calidam virtutem habet et causticam , non tamen nimium : sumpta in cibo venerem stimulat : in ovo sumpta digestionem facit , et urinam movet : se-men eius tritum cum pipere et vino venerem movet.

53. Satureia calida est et prope ignita : venerem movet : ventrem movet ; ideo in utero habentibus dari prohibetur : semen eius tritum cum vino urinam movet: folia eius trita cum aceto fronte inlinita letargicos susci-tat. Ad stomachum cum vino et aqua calda bibitur.

54. Ebulum a Graecis dictum *χαμαιάντη*. Ebulum tenerum cum foliis tritum in vino potui datum cálculos expellit : radicem eius decoctam in aqua usque ad tertias dabis bibere : ad splen valet mire , ad colubri morsum. Ante quam succidas , tene ebulum , et ter novies dices ad omnem malam bestiam cantum , atque ferro quam acutissimo illud secundum terram trifariam praecidito. Id facias eo cogitato cui mederis : reversus ita ne respi-cias , et ipsam herbam contritam oppone ; continuo sa-nabitur. Ebuli radicis sucum cochlearia tria ex vino heminam potui dato hydropico ; mire proficit ; per anum enim omnis humor pessimus detrahitur. Ad splenis do-lorem ebuli rādicem siēcam , et in pulverem redactam ,

ex vino cyathos tres , et ex pulvere cochlearium , in lamine stans da ut bibat , et ebulum semper secum habeat , sane ebulum sine ferro collectum.

55. Asparagi agrestis radicem in aqua , sextarium unum , da bibere ad dolorem vesicae : liberabitur. Ad dentium dolorem asparagi sucum in ore tenere oportet. Ad elephantiosos eius radix contrita imponitur. Ad renum dolorem asparagi radix cum vino potata proficiet. Siquis malivolus devotaverit hominem , asparagi radice cum aqua fontana lustrabis eum , et resolvetur.

56. Gladiolum alii linguam cervinam , alii senecionem vocant. Ad vesicae dolorem , et ad eos qui urinam non faciunt , et ad splenem adhibent. Gladiolum effodies , et siccato cortice radios conteres , et addes vini cyathos duos , et aquae cyathos quatuor , et inmiscebis et potui dabis : statim urinam provocat , et dolorem tollit. Ad coli dolorem , gladiolum maturissime lectum et siccatum , in pulveris morem redactum in vino lenissimo mixto potui datur : mire dicimus splenem siccare. Gladioli bacis tritas cum lacte caprino , melius si asinae fuerit , tepefacto dabis bibere et desinit dolor.

57. Senecion a Graecis dicitur erigeron. Ad vulnera recentissima , tunsa et subacta cum axungia vetere imposita sanat. Siquis medullam sumpserit , manus \* V. in ter vino vetere , cum oleo , staupos XII, quo quis usque ad tres perveniat ; per triduum bibat staupos singulos. Ad clavos , cum adipे porcino tritam superpone. Siquis ferro percussus fuerit , senecion tunsa cum axungia vetere sine sale , et factum quasi cerotum in plaga impositum , facilime vulnus sanat. Tunsa ut supra et imposta omnes cathismas curat. Si post meridiem colligas eam , et cum axungia pisces et misceas , imposta

aperit vulnus et persanat. Ad pedum tumorem , et dolorem nervorum , tunsa cum axungia dolorem tollit. Se necionis flosculus cum caryota , ut sit malagmae genus, impositus stomachi dolorem tollit. Ad lumborum et coxarum dolorem , trita cum vino potui data multum prodest : tunsa et imposta podagram in pedibus sanat.

58. Brateus, hoc est herba sabina , simulans foeniculum agreste. Huius genera sunt duo , unum simile tamaricae foliis ; aliud vero similitudinem habet cupressi. Ignem sacrum , carbunculum , morbum regium , et omnes internos et antiquos dolores , et quartanas veteres , et corpora quae tabescunt *sanat*. Radices eius tritas cum pipere in vino vetere ante pridie infusas potui dato : ante solis ortum carbuncolorum vulneribus imponito. Radices eius cum vino ictericus potet. Contra varietates corporis radix eius cum pipere bibatur.

59. Salvia a Graccis dicitur elclisphacos , ab aliis cission, ab aliis bechion. Ad veretri pruriginem in aqua decoquatur; et de eadem aqua infretetur similiter ad pruriginem circa anum : ad tertias tamen coquatur in aqua.

60. Ceresfolii virides comas et pulegium in ligno terre , cum mellis cochleario malaxam bulli papaveris viridis , et induc stomacho dolenti.

61. Rosae germaniae folia viridia trita cum lacte mulieris oculorum vulnera et cicatrices curant : foliis eius siccis in calda fovento oculorum epiphoras : folia eius siccata in aqua cocta pota ad stomachum dolentem vel defectum : et faucium usturas tollit : gargarizatur elixatura.

62. Crinus leucus , hoc est lilyum album : radices eius tritae imponantur contra morsus serpentium et canum : folia ciuis tunsa luxaturas mire curant : radices

cias in oleo coctas matrici inice; præfocationes tollit.

63. Libesticum calidam virtutem habet, maxime in semine: urinam provocat: calculosis et nephriticis iuvat.

64. Damasonium, hoc est costum hortense, epilepticis prodest.

## CAPITULA LIBRI SECUNDI

### D Y N A M I D I O R U M.

I. De allio; calidum est, deducit, mingitur, secundas, ictericos, quartanas, canis morsum, lumbricos. II. De caepa; oculis prodest, siccatur corpus, caninum morsum, surdiciam aurium, alopecias. III. De ulpicio; indigestum, calculosis. IV. De raphano; calidum est, humectat, flegma spargit, venena serpentium, aures, ictericos, calculosos, livores, vermes. V. De porris; urinam, egeruntur, carbunculos, vulnera sordida, vomem, aurium vulnera, percussuras, fungos malos, stomachum. VI. De senape; calidum est, egeritur, urinam stringit, caput purgat, stomachum, serpentium morsum. VII. De stringo; frigida est, ignem sacram, tumores, parotidas, combustos, oculorum cocturas, aurium tumores, febres, seminis lapsum. VIII. De iusquiamo \*; tumores, podagram, carbunculos, foetus, aurium vermes, tussem, oculos, fistulas, sanguisugas eicit, dentium dolores, ischiaticos. IX. De pulegio; calefacit, deducit menstrua, foetus, secundas, capititis tumores, ventris torsiones, tussem, maleficia, tumores, spleneticos. X. De origano; mingitur, deducit phlegma, sanguinem, cholera, hepaticos, tussientes, herniarum fracturas, luxaturas. XI. De pe-

\* Infra hy-  
usquiamo.

gano ; calidum cst , mingitur , phlegma , urinam , menstrua , venena , intestina , lumbricos , hydropicos , caligines , dolores omnes , stomachum , matricem , calculos. XII. De asparago ; calidus est , stomachum , vesicam , quartanas , dentium , renium , urinam , venarem movet. XIII. De absynthio ; lumbricos , fungos malos , livores , stomachum , nauseam , vertigines , somnum , caligines , nervorum *dolores*. XIV. De lapacio ; melanchaeridas collectiones , dysentericos , fastidium , lichenas , dentium , parotidas , splenis duritiam , morbum regium , calculos , collectiones. XV. De bato ; vulnera , aures , profluvium , plagas , gingivas , cardios . XVI. De foeniculo ; tussem , vesicam , oculorum cicatrices . XVII. De mercuriali ; ventrem solvit , aurium . XVIII. De pastinaca ; menstrua , eunuchos facit . XIX. De gramine ; splenem , urinam . XX. De irio ; calefacit , tussem siccum , tussem iterum , somnum , torsiones , seminum lapsus , ischiaticos , paniculas , oculorum albores , fistulas , lentigines , urinam . XXI. De betonica ; calculos , haemoptoicos , hydropicos , oculorum , aurium , stomachum , ventrem movet , tussem , vulnera , veretrum , capitis caligines , lacrimosos , sanguinem narium , vomicam , suspiriosos , phthisicos , purulentos , splenis , renium , lumborum , ventris dolores , frigora , vesicam , nauseam provocat , matricem , urinam , venena , splenem , ictericos , menstrua . XXII. De thymo ; calidus est , caliginem , lumbricos , urinam , menstrua , foetus mortuos , secundas , tussim . XXIII. De cymino ; calidus est , siccum , torsiones , stomachum . De hysopo ; calefacit , phlegma deducit . XXIV. De samsuco ; hydropicos , urinam , intestina , menstrua , scorpones , luxos , furunculos , partus , secundas . XXV. De

saxifica ; calculos , menstrua , renes , matricem , colum. XXVI. De chamaepetye ; ictericos , hepaticos , urinam , intestina , vulnera , ventrem movet. XXVII. De dictamno ; foetum mortuum , sagittas , vulnera , venena. XXVIII. De anagallide ; susprium , oculorum vulnera , caligines , dentium. XXIX. De arnoglossa ; dysentericos , sanguinem spuentes , vulnus , fistulas. XXX. De hierobotane ; vulnera , morsus omnes , colicos , strumas , hepaticos. XXXI. De centaurea maiore ; hepaticos , partum et secundas , spleneticos. XXXII. De centaurea minore ; caligines , stomachum , hepar , morbum regium , quartanas , oculorum , lumbricos et tineas. XXXIII. De polygono sanguinem reicientes , mammilarum , aurium , dysentericos , dentium dolores. XXXIV. De polygonorum generibus ; genera eius quatuor ; gingivarum , ulcera oris. XXXV. De calydonia ; caligines , albugines oculorum , ictericos. XXXVI. De phlomo ; tumores , eunuchorum vulnera. XXXVII. De calamte ; cotidianas , tertianas , venena , vulnera , percussuras , testium tumores , urinam , menstrua , sanguinem excreantes , aurium vulnera. XXXVIII. De teli ; furfuras capitis , partus , tussem , febres acutas. XXXIX. Iterum de calamte ; serpentium morsus , lumbricos et tineas , elephantiam , serpentes fugat , cicatrices , collectiones , ischiaticos. XL. De pentaphyllo ; strungulii suffocationes , serpentium morsus , articulorum vitia , luxaturas. XLI. De plantophyo \* ; contra maleficia. XLII. De botracio ; collectiones omnes , vulnera veretri , dentium dolorem , ischiaticos. XLIII. De pulegio ; calidum est , contra stomachum , contra frigus intestinalium , stomachum , nauseam capitis , ne in navi fastidias , menstrua , foetus , sella nigra , serpentium morsus , defi-

\* Infra  
penta-  
phyo.

cientes , podagram , papulas , pruriginem , vesicam ;  
calculos , cor , pectus , articulorum et splenis dolores ,  
spasmum , ischiadem , coxarum dolorem. XLIV. De  
hyusquiamo ; oculorum fervorem , dentium dolorem.  
XLV. De artemisia ; podagram , intestina , vesicam ,  
nervorum et coxarum dolores , matricem , menstrua.  
XLVI. De satyrio ; venerem , cicatrices nigras. XLVII.  
De aristolochia ; venena omnia , vulnera sinuosa , pa-  
vores infantium , canceromata , polypum. XLVIII. De car-  
damo ; strumas , paniculas , sanguisugas eicit. XLIX. De  
tridagra ; caligines , oculorum suffusiones. L. De bu-  
glossa ; tertianas , quartanas , tumores , hilaritatem bi-  
bentium. LI. De heliotropia ; venenum , luxaturas , sto-  
machi dolores , varietates , tertianas et quartanas , collec-  
tiones omnes , verrucas. LII. De polytricho ; collectio-  
nes , alopecias , venerem. LIII. De codio ; oculorum  
epiphoras , hemicranium , capitis dolorem , somnum.  
LIV. De bryonia ; spleneticos , podagram , tumores.  
LV. De myriophyllo ; vulnera omnia , oris dentium-  
que , oculorum albores. LVI. De cисso ; frigida est ,  
capitis dolorem , calculos , splenem , phalangii morsum ,  
foetores , surditiam aurium , cervices , caput ne a sole  
doleat. LVII. De hinola ; vesicam , dentes confirmat ,  
lumbricos. LVIII. De serpylio ; capitis dolorem , conbus-  
tos. LIX. De absynthio ; fungos malos , livores , lumbricos , contusiones. LX. De tithymalo ; ventrem deducit ,  
vomitum provocat , capillos exuit , dentes cavat , verru-  
cas , lepram , fistulas. LXI. De saxifrica , calculos  
frangit. LXII. De cynoglossa ; serpentium *morsus* ,  
quartanas , aurium. LXIII. De brassica ; tumores , poda-  
gram , laterum dolorem. LXIV. De hylorhodo ; praecor-  
dia , thoracem , spleneticos , vulnera omnia , canis mor-

sum. LXV. De ampelo; ventrem, urinam movet, lentigines, maculas, comitialem morbum, morsus omnes, ossa fracta. LXVI. De britannica; oris vulnera, dentium, paralysim, oris foetorem, ventrem movet, urinam, splenem. LXVII. De camila; sudorem nimium, corporis dolorem, nervorum, caput. LXVIII. De chamaedrye; convulsos, venena, ignem sacrum, podagram. LXIX. De olusatro; urinam, colum, intestina. LXX. De symphyto; profluvium omne, dysentericos, haemorrhoidas. LXXI. De ampelo; canis morsum, urinam. LXXII. De cromo; morbum regium, canis morsum, venerem movet. LXXIII. De euzomo; podagram, venerem movet. LXXIV. De leucia; matricem, vulnera, menstrua, anum, dentes, podagram. LXXV. De cyclamino; caput purgat, hepar, splenem. LXXVI. De personacia; splenem, calculos, canis morsum. LXXVII. De eutychia; vulnera, testium tumores. LXXVIII. De scolopendria; potuum periculum vitat. LXXIX. De libanote; dentium causas, languentes, pruritus, impetigines, hepar, tussim, pulmones, oculorum albores. LXXX. De polyppadio; ventrem purgat, phlegma, urinam. LXXXI. De lathyride; ventrem deducit, cerebri humorem. LXXXII. De sycoagrio; aurium, podagram, ischiaticos, impetigines omnes, ventrem deducit, phlegma, hydroponicos, lumbricos, foetum mortuum, rabidos morsus, ictericos, venena, tumores. LXXXIII. De herpyllo; urinam, splenem. LXXXIV. De tridaco; combustos. LXXXV. De molocha agria; oculorum collectiones, apium percussum, capitis, acoras, combustos, matricem, venenum, lac mulieribus, vesicam, nervorum tumores. LXXXVI. De prasio; phthisicis, tussientibus, suspiriosis, phlegma, partus, venena, veretrum, laterum dolorem, caligi-

nes , morbum regium , aurium , scabias , tumores , lumbricos , nervorum . LXXXVII. De solago ; scorpiones , lumbricos . LXXXVIII. De cindio ; canis morsum , ulcera , furunculos , parotidas , splenis duritiam , tussientes , vesicam , ventrem , fursures capitis . LXXXIX. De staphysagria ; caput purgat , humores malos , pediculos , scabias , dentium causas , oris vulnera . XC. De thermosurino ; lumbricos et tineas , alopecias , pulices necat . XCI. De calamo ; tumores , ex frigore vulnera . XCII. De scyllitico ; hydropicos , perniones , paronychias , venena , narium foetores , oculorum . XCIII. De bulbo ; articulorum , impetigines , fracturas , morsus omnes , geniculorum . XCIV. De narcyssō ; capitis , impetigines , livores , combustos , sagittas , sutes . XCV. De asphodylo ; menstrua , laterum dolores , tussim , hictulos interiores , serpentium , vulnera sordida , aurium vulnera , dentium , alopecias , combusturas , perniones , varietates . XCVI. De colocyntho ; ventrem purgat , cholera , phlegma , ischiaticos , fellā , foetus discutit , hydropicos . XCVII. De hynia ; tumores , calculos , urinam , parotidas . XCVIII. De draconea ; aurium dolores , polypum narium , naris foetorem , canceros , partus , suspiriosos , iumenta sumentia , catarrhum , phlegma , urinam , ventrem , vulnera cancrosa , collyria oculorum , serpentes , varietates , vulnera recentia , perniciones , caligines , venena omnia , ossa fracta extrahit . CXIX. De camilia ; ventrem solvit , phlegma , fellā , vulnera sordida , cicatricem , tussim antiquam , catarrhum , dentium . C. De amilia ; hepaticos , hydropicos , quartanas . CI. De sapa ; podagram , serpentium *morsus* . CII. De rhododaphne ; vermes vulnerum , caligines , scabies . CIII. De scoliismo ; ossa fracta extrahit , perniciones . CIV. De chamaereo ; stomachi dolo-

rem. CV. De personacia ; articulorum , calculos , canum morsum , combustos. CVI. De cappario ; canis morsum , vermes , stomachum , spleneticos , calculos , paralyticos , ischiaticos , hydropicos , aurium dolorem. CVII. De althaea ; collectiones , anum , matricem , urinam , calculum , ischiaticos , colicos , dentium , maculas corporis , dysentericos , apium , venena , usturas , podagram , collectiones antiquas , matricem , verestrum , testes. CVIII. De narthece ; ventrem movet , venena , caligines , morbum regium , dolores ex frigore. CIX. De silio ; collectiones , parotidas , umbilicum , capitis dolorem , hemicranium. CX. De helenio ; tussientes , dentium dolorem , lumbricos , epilemnicos. CXI. De polio ; epilemnicos. CXII. De paeonia ; lunaticos , ischiaticos. CXIII. De mandragora ; oculorum fervores , collectiones , ulcera , ignem sacrum , serpentium morsus , articulorum , ad soporandum , phreneticos , vulnera omnia , nauseantes. CXIV. De paonia ; secundas , ventris dolores , nephriticos , vesicam , matricem , calculos , stomachum , inguina. CXV. De squilla ; ventrem deducit , urinam , hydropicos , stomaticos , intestina , suspiria , phlegma. CXVI. De ordivelio ; serpentium morsus , arquaticos , tumores , oris vitia , tertianas , quartanas. CXVII. De psyllio ; frigida est , parotidas , collectio-nes , umbilicum. CXVIII. De origano.

## INCIPIT LIBER SECUNDUS

## D Y N A M I D I O R U M

DE AGRIIS OLERIBUS VEL AGRESTIBUS.

**A**greste vero olus quod os calefacit , et odorem reddit suavem , egeritur : quod vero viscidum et austерum fuerit , restringit : quod vero calefacit os , calidum est et siccum : quod etiam acidum fuerit , et frigidum , sucus eius movet urinam.

1. Allium calidum est et deducit et mingitur : corporibus quidem bonum est , oculis vero perniciosum : movet etiam venerem et deducit , et quod invenerit simul deducitur , coctum tamen invalidum est : inflat autem calore suo et ventos movet : seminarum secundas provocat : potatum cum vino et pipere ictericos curat : stomachum laedit. Spicas tres cum lasere morsui canino inponito : tritum cum vino tineas ventris et lumbricos excludit.

2. Caepa quidem oculis prodest : infusa dolores et caligines tollit : sumpta nutrit phlegma : corpori inutilis propter calorem et acrimoniam , quia nec egeritur nec nutrit ; nam et calefactione siccatur corpus. Caepam tritam cum aceo et sale morsui canino inponito : cocta cum melle trita omni plaga , veterimis vulneribus , morsui canino convenit. Sucus eius cum rosacio surditiam aurium solvit : sucus eius cum lacte mulieris aurium dolorem tollit. Alopeciae , si caepa fricentur , capillos nutrunt.

3. Ulpicum indigestibile est : cum vino calculosis prodest.

4. Raphanum calidissimum est , humectam habet virtutem , et dispargit phlegma : folia autem eius minus austera sunt , sed articulis dolentibus contraria sunt . supernatant , et vix digeritur ; stomachum inflat ; contra venena subsidium habet , omnium medicorum opinione : semen eius fortius ipsa radice : sucus eius cum modico rosacio instillatus aurium dolorem tollit : radix eius commixta lavae cris ictericos curat : in vino cocta calculos expellit : trita radix inposita livores tollit : sucus eius vermes necat : commixta nauseam provocat.

5. Gentiapae <sup>1</sup> radicem siccam et in pulverem redactam , pondere drachmam I , vini cyathos III , ad serpentium morsus potui da.

6. Porri minus quidem calefaciunt , urinam movent et egeruntur : habent et partem purgatoriam ; humectant , carbunculum curant et stomachum : post cibum accipiendus est : tritus cum melle vulnera sordida purgat.

7. De porris qui non sunt plantati. Sectiles porri in cibo sumpti vocem purgant : sucus foliorum cum rosacio vulnera aurium et tumores sive percussuras curat : sucus eorum cum gallae pulvere sanguinem reicientes curat : semen tritum cum vino potatur contra fungorum praefocationes. Cocti stomacho utiles , crudi utentibus <sup>4</sup> malum.

8. Sinape <sup>\*</sup> calidum est et egeritur , sed restringit

<sup>\* Cod. al.  
dentibus.</sup>

<sup>\* Ind. se-  
nape.</sup>

(1) Deinceps numeri articulorum cum indice iam non congruunt , quia index ex antiquo codice sumptus fuit ; deficientia autem folia ex alio item prisco codice , sed diversae lectionis , petenda nobis fuerunt.

urinam : semen eius tritum cum melle et aceto mixtum  
gargarizatum caput purgat : crudum stomacho contra-  
rium : coctum in olere iuvat stomachum : semen eius  
tritum cum aceto serpentium vulnera curat.

9. De herbis agrestibus. Galeni. Stringus , hoc est  
uva lupina , quae et salutaris vocatur , frigida est et re-  
tinens : sucus eius ignem sacrum curat : trita in empla-  
stro tumores omnes tollit : folia eius trita cum sale pa-  
rotidas discutit : cum cerussa et spuma argenti sucus  
eius combusturas sanat : sucus eius cocturas in angulis  
oculorum refrigerat: cum rosacio aurium tumores tollit:  
contra stomachum positus febres tollit cum ardore : tri-  
ta cum vino potata seminis lapsum constringit.

10. Iusquiamum , hoc est gingaralis sive symphoni-

\* Cod. al. ca \* : folia eius trita cum farina tritici et axungia omnes  
*insana.* tumorum duritias solvit. Folia eius trita cum butyro ,  
podagrae tumorem compescunt: sucus foliorum eius cum  
farina sigilae et albo ovi , emplastrum factum , ossa  
fracta et carnem sanat : folia eius trita cum caricis ,  
carbunculos sanant : sucus foliorum eius cum vino po-  
tui datus foctum extrahit : sucus eius aurium dolorem  
tollit , et vermes necat : semen eius in vino cum papa-  
veris semine tussientibus succurrit: ex suco eius in um-  
bra siccato , collyria facta oculis dolentibus prosunt et  
fistulis : semen eius carbonibus fumigatum sanguisugam  
proicit ; simili modo et dentium vermes : semen eius  
ischiatricos curat , si custodiatur usque in crastinum :  
radicibus eius in vino coctis contra dentium dolorem os  
abluatur.

11. Glyconii , hoc est pulegii , masculi rubeus , fe-  
minac flos albus , virtute thermantica calefacit et dedu-  
cit et extenuat et purgat et digeritur : decoctio eius po-

tata menstruum deducit , foetum et secundas extrahit : coctum in melle et aceto gargarizatum humorem capitis deducit : in vino coctum potatum torsiones intestinorum et tussim cum phlegmate et catarrho male patientibus succurrit : flore trito cum aceto nares perungue : tritum cum polenta tumores compescit : folia eius trita cum sale spleneticos curant.

12. Origanum , hoc est colena , calidum est , et mingitur , et deducit etiam phlegma : cholera et sanguinem compescit : elixatura eius in aqua potata hepaticos et tussientes iuvat : cum vino albo coctum pota contra scorpionum et aranearum ictus : in oleo et aceto coctum cum lana sucida fracturis et luxaturis inponit.

13. Peganon , hoc est ruta acris hortensis , nec minimae virtutis , calidum est , et mingitur et deducitur phlegma : cum vino potui datum , urinam et menstrua movet . Ruta trita cuni melle potata inflationes stomachi aufert : semen eius cum vino potatum torsiones ventris tollit : semen ipsius cum vino omnia venena excludit : in oleo coctum et per clysterem iniectum , intestinorum dolores tollit et lumbricos : folia eius viridia trita cum suco sicco hydropicos curant : sucus eius cum melle atro et felle perdicis , oculorum caligines tollit : trita cum vino stomachorum et matricum et calculorum dolores tollit.

14. Asparagus in cibo sumpta \* stomacho prodest : <sup>\* Ind.</sup>  
<sup>masc.</sup> calida est : radices eius in vino coctae vesicam curant ; quartaque denarii pars dentium dolores tollit : renium dolores et urinarum suffocationes purgat.

15. Absynthium elixatum cum marrubio et lupino tritum , in umbilico positum lumbricos excludit : sucus eius potatur contra fungorum suffocationes : folia eius

trita cum melle percussuras tumentes et livores conpe-  
scit : ramusculus eius viridis cum melle decoctus et ra-  
dix , stomachi inflationes aufert : pulvis radicis eius in  
mulsa potatus somnum praestat et torsiones tollit : sto-  
machi extensionem et inflationem . . . turiones eius  
virides et cydoniorum poma in cibo cocta cum lana sto-  
macho inponito : semen eius in pulverem redactum dato  
potui cochlearium I, cum calda , contra stomachum  
nauseantem , et tremorem , malefactionem , vertigines  
capitis , et somnum , vel oculorum caligines : in oleo co-  
ctum et colatum , ex eo ungitur corpus vel nervorum  
dolores.

16. Lapacii agrestis genera quatuor. Agreste efficacis-  
simum : sucus eius melanchaeridas curat: folia eius trita  
collectiones spargunt : semen tritum cum aqua dysente-  
ricos et coeliacos stringit , et fastidium tollit. Radices  
eius coctas iacito tritas ; lichenas radunt : in vino co-  
ctis conlue dentium dolorem : in vino coctae tritae pa-  
rotidas curant : in aceto coctae tritae splenis duritiam  
solvunt : sucus eius cum vino potus morbum regium  
curat et calculos frangit : folia eius trita cum axungia  
et vino gallinaceo et sapone in folio caulis , opere calido ,  
obruto , lentiolo inducto , collectiones maturas sine fer-  
ro rumpunt : folia eius trita cum axungia et pane trito ,  
tumores et duritias spargunt.

17. De sentice , hoc est rumice. Batus vulnera pe-  
riculosa ex se nata , foliis coctis in vino tritis cum mel-  
le curat ; sucus eius aurium dolorem tollit : turiones in  
aqua coctos pota , prosluvium mulieris sistunt : folia eius  
plagas recentes iungunt : in vino coctis gingivarum tu-  
mores linito: cymas eius tritas in calda pota contra pro-

**fluvium sanguinum : folia eius trita in mammilla sinistra.  
inposita cardiacos curant.**

18. *Foeniculi agrestis radices tritae cum vino tussientibus prosunt : in vino tritas cum radio apii , sucum eolatum , pota contra vesicae dolores : sucus eius cum lacte mulieris oculorum cicatrices curat.*

19. *Mercurialis similis est ocymo : cocta cum pullorum carnibus ventrem solvit : succus eius cum rosacio aurium dolorem tollit : et siquid in aurem introierit , expellit.*

20. *Pastinaca sylvatica. Radix eius in aqua mulsa cocta menstrua purgat , radices eius tritae testiculis appositae eunuchos faciunt.*

21. *Pimpinella a morte ac clavo liberat.*

22. *Irius , hoc est gladiolum , vel erysimon , quod est lilyum agri , vel lilyum ceretnum \* , calefacit , non \* Ita cod. tamen egeritur : ad tussim siccam radix eius in mulsa cocta potatur : ad tussim cum dolore pulvere ex radice eius cum melle dato , cochlearium I: pulvis radicis eius in mulsa potui data somnum facit et torsiones tollit : pulvis eius cum pusca seminum lapsus / spontaneos curat , hoc est gonorrhoeas : elixatura radicis eius per clysterem ischiatricos curat : radix eius trita et cocta parotidas et panniculas curat : cataplasma pulveris radicum eius cum melle albores oculorum tollit et fistulas curat ; lenticulas et maculas de facie praegnantium tollit : pulvis ipse in mulsa potata urinam solvit.*

23. *Betonicam , quam quidam cestron , alii vero lactariam vocant , tunsam cribratam in mulsa contra urinae difficultatem vel calculum pota : pulvis eius cum pusca haemoptoicos curat : cum vino et melle hydropicos desiccat : folia eius trita oculorum percussuras*

curant: *sucus eius cum rosacio aurium et stomachi dolores tollit: pulverem eius, si febricitet; cum calida dato ad stomachi dolores; si non febricitet, cum vi no: cum mulsa ventrem movet: ad tussim cum melle: folia eius cum sale trita vulneribus recentibus mendentur: foliis eius in vino tritis fove tumores sive vulnera veretrorum, et pulverem eorum inponito.* Capitis fracturae betonicae contusam superponito: radicibus in aqua decoctis ad tertias, vitia et dolores oculorum fove to, et ipsa folia super oculos pone: ius eius cum aceto in aures dolentes inmitte: ad caligines, betonicae drach mas IIII, aquae calidae cyathos III. *ieiunus bibe; deducit in inferiorem partem cum sanguine qui caliginem facit; ad lacrimosos oculos betonica manducetur: ad sanguinem de naribus betonica ad tertias in vino cocta gargarizetur: ad vomicam et thoracis dolorem betonicae drachmae II, et aquae tepidae cyathi II. bibantur; similiter ad suspiriosos: ad phthysicos qui purulenta excreant, betonicae drachmas III. cum melle iejunus glutiat: ad stomachum drachmas III. manducet per triduum, et aquae cyathos III: ad iocinerum dolorem similiter ut supra cocta potui datur, spleneticum iuvat: ad renium dolores, betonicae drachmas III, vini veteris cyathos III, piperis grana XXVII, calefacta iejunus bibat: ad lumborum dolorem betonicae drachmas III, ex vino amineo cyathos III, piperis grana XXVIII, calefacta iejunus bibat: ad ventris dolorem betonicae drachmam I. in aquae calidae cyathis III. bibat Hi tamen, quorum nexus cruditate intestinorum torquetur, ad alvum concitandum betonicae drachmas IIII, mellis cyathos III; ad tussim, betonicae drachmas duas, et mel accipiat per dies VIII. Ad cotidianas betonicae drachmas II, arnoglossae drach-*

mam I, aquae calidae cyathos III. bibat sub accessione. Ad tertianas betonicae drachmas duas, et pulegii drachmam singulam, aquae calidae cyathos XX, sub ipsa accessione da bibere; sanat. Ad vesicae dolorem betonicae drachmas IIII, apii radicem libras III. decoque in sextario aquae ad medias et cum decoctum fuerit . . . supermisceatur; da bibere. Ad oculos lacrimosos betonicae drachmas III, et aceti excedentis et mellis I, et aquae calidae cyathos VIII. bibe. Ad hydropicum betonicae drachmam I, et aquae calidae cyathum I. triduo bibe. Radices eius tunsae cribratae cum aqua mulsa nauseam cum phlegmate provocant. Pulveris cribrati ex foliis eius scripulos III. cum mulsa da potui eis qui aliquo casu omenta laeserunt, nec non et matrici mulierum. Betonicae drachma I. cum vino potata ventrem et urinam movet: veneno betonica fortiter resistit: cum aqua calida potata spleneticis medetur: ex eius pulvere et melle ad fabae magnitudinem post caenam accepto digestio- nem facies: haemoptoicos drachma I, cum vino ictericos sanat, menstrua deicit: drachmae III. cum mulsa accipientur, ventrem purgant. Pulverem vero eius si ne- cesse fuerit servare, in vas fictile reponatur.

24. Thymum virtutem habet calidam ut hyssopus, caliginem discutit, lumbricos eicit, urinam conpellit, menstrua provocat: foetum mortuum extrahit ac secundas pulvis eius cum vino potatus; cum melle mixtus pulvis tussim tollit.

25. Cynamum virtutem habet calidam et desiccati- vam: in oleo coctum per clysterem iniectum torsiones intestinorum tollit: in vino potatum dolores stomachi tollit, urinam provocat.

26. Hyssopus calefacit et phlegma deducit.

27. Sampsuci, hoc est casiae, decoctio potata, principia hydropicorum, urinarum difficultates, intestinorum tormenta, menstrua provocat: tritus cum sale, ut emplastrum impositus, contra ictus scorpionum: cum cerota mixtus luxis prodest: cum polenta tritus fervores oculorum: cataplasma difficultates partuum accelerat.

28. Saxifica, hoc est tiraria, tunsa cum pipere et vino calculos frangit, urinam solvit, menstrua provoca, renium dolorem et matricis et coli tollit.

29. Chamepetys, hoc est cucurbitatis, quod ex parte odorent cucurbitae referat. Folia eius cum radice trita, in vino potata, ictericos, hepaticos, urinarum difficultates, torsiones ventris et intestinorum iuvat: trita cum mulsa ventrem movet: tunsa cum radice sua vulnera antiqua et sinuosa curat, et vulnera in tibiis sive in pedibus.

30. Dictamnum, hoc est pulegium Martis. Sucus eius in lana matrici superpositum mortuos foetus excludit; siquid corpore inhaeserit, folia trita inponito: potatum ex vino partum et secundas eicit: folia eius trita vulneribus recentibus . . . . sucus eius omnium morsus et venena: et sagittas expellunt cum vino potata. Si qua mulier in utero foetum mortuum habuerit, succum eius cum vino bibat; si febricitat, cum aqua calida: ad plagam sucum infunde, et eundem sucum bibe: contra venenum cum vino potui dato. Tanta vis est dictamni, ut non solum interficiat, sed ubicumque fuerit serpens, praesentia sui eos edeat \*: si odor eius a vento extollitur, ubicumque eos tetigerit, mox occidet.

Fertur exemplum. Caprea vel cervus in venatione si telo percussus fuerit, venit ad dictamnum; mox ut pascitur, sagitta excutitur et plaga sanatur. Dictamnorum

acrimoniam , millefolium , ambrosiam , sucum eorum , cum adipe pones in plaga.

31. Anagallidis , hoc est auriculae muris , sucus cum melle acapno vulnera oculorum et calinges curat : naribus infusus , dentium dolores tollit.

32. Serpyllum flores *habet* candidos ut canos hominum ; ideo polion dicitur. Ad epilemicos et lunaticos cum aceto scillitico ante accessionem potui da : item pilulam eius vel radicem in linteolo mundo circa collum liga.

33. Centaurea maior , hoc est semper viva , cocta in aqua hepaticis et spleneticis prodest : cocta in vino partum et secundas excutit potui data : folia eius trita cum axungia vulneri impone.

34. Centaureae minoris sucus cum melle acapno oculorum calinges tergit : in aqua ad tertias potui data stomachum , hepar , morbum regium , quartanas , et suffusiones oculorum curat : in vino cocta lumbricos et tinea ventris occidit.

35. Polygonus , hoc est sanguinaria sive spinatia , hoc est centonodia , sive sensur \*. Sucus eius cum pusca <sup>\* Infra sunsur.</sup> potatus sanguinem reicientes sanat : tunsa cum butyro tumores mamillarum sanat et lactem provocat : sucus eius cum rosacio aurium dolores et vulnera sanat : cum calda potatus dysentericos stringit : radices eius commasticatae dentium dolores tollunt. Polygonorum genera sunt III: primum genus sunsur , quae et sanguinaria fructicosa , serpens terra , stiptica quia stringit. Secundum genus , minor , ut gramen folii , sapore nigror , et geniculis densior : semen eius urinam movet , et dolorem vesicae tollit. Tertium genus orion vocatur ; nascitur in montibus , arundini similis tenerae unicauli , mul-

tis geniculis, ischiaticis commodum. Quartum genus hy-  
licum appellatur, hoc est silvestre; paene *simili* arbori-  
bus frutice, fructicosa et lignosa stirpe cedri, rubicun-  
dosum partibus binorum palmorum. Cocta in vino gin-  
givarum vitio, si os conluas et ulcera oris curat.

36. Chelidonia, Italis hirundinina. Sucus ex radice  
eius et foliis cum melle attico et vino vetere, et pilula  
piperis albi, caligines et albores oculorum antiquos cu-  
rat, maxime flores eius. Sucus eius ad umbram sicca-  
tus, admixto melle, ut collyrium oculorum impetus sa-  
nat. Ad caliginem oculorum, chelidonia cum axungia  
inponitur, ante quam fovetur. Ad parotidas, chelido-  
niam cum sebo caprino contere et inpone. Ad conbu-  
stum, in aceto contritam inlinito fronte et capite. Ra-  
dix eius cum anetho in vino cocta hepaticos sanat. Ca-  
liginem, et qui ulcera habet in oculis, et scabitudines,  
et albuginem, extenuat facillime. Suco radicis eius cum  
vino veteri et melle attico et piperè albo in se bene con-  
trito inunges intus; perfecte medetur; nos ipsi experti  
sumus. Aliqui de suco eius oculos inungunt. Sucus eius  
vel flores expressi, mixto melle attico, sanant. Ad ca-  
pitis dolorem vel dentium chelidoniae radicem, et cy-  
pressi folia trita, et taedam masculam, aceto decoque  
et tepefacta gargariza. Ad parotidas et phimata herba  
chelidonia cum axungia inponitur. Ad combustum che-  
lidoniam cum sebo caprino contere et inpone. Ad auri-  
ginem herbam chelidonium tritam cum aqua bibe; mi-  
raberis. Caliginem oculorum chelidoniae sucus vel flo-  
res expressi, mixto melle attico, mire curant. Qui se-  
cum habuerit, si quis venenum dare voluerit, prius ei  
de manu poculum cadet quam venenum accipiat.

37. Calamtis genera sunt tria; unum montanum,

foliis ocymi simile , sed subalbidum , ramis angulosis , foliis dentatis , flore purpureo. Aliud genus pulegii foliis simile , sed maius ; odore quoque simili , unde pulegium agreste dicitur. Tertium genus foliis mentae agresti similibus ; et hoc maius est omnium trium , sapore amaro , virtute thermantica. Radices eius inutiles. Sed montanum vehementius. Contra morsus serpentium , si contusa vulneri adponatur , et cocta potetur. Cum sale et melle lumbricos et tineas necat: contra elephantiam vero prodest , si vel cruda vel elixa comedatur et bibatur ad seram. Folia eius tunsa cum axungia , pedum dolorem et podagram mitigant : in mulsa potatur propter intestinorum tormenta : folia eius incensa serpentes fugant , vel etiam humi sparsa: cum vino cocta trita cicatricibus nigris adposita , exalbat eas ; collectiones maturas rumpit , saniemque deducit : ischiatricis ad locum dolentem adposita remedium praestat.

38. Calamitis , hoc est nepetae , folia trita cum calda cotidianis dantur ante horam accessionum , sive tertianis. Folia eius ex vino pota contra omnes morsus venenorum : trita vero vulneribus adponuntur : cum sale trita percussuras et livores sanat : cum uva passa trita tumores testium tollit. Primalia \* in vino cocta foyeto. Nepeta \* Ita cod. calidissima est ; unde ex ea fit antidotum quod diacalamitis dicitur. Urinam concitat , menstrua movet. Succum eius cum mulsa potent qui sanguinem excreant.

39. Quinquefolium circumscriptis ter digito medio et pollice sublatum , capiti inlinitum sanat: radix eius capiti alligata , mire sanat. Ad oris vitia , quinquefolio in pulverem redacto , admixto melle , os perfrica ; linguam , arterias , et fauces purgat : succus eius potatus vel fronti

*inlinitus sanguinis fluxum* restringit : tunsus potatus dolorem ventris tollit.

40. Telis , hoc est foeni graeci , semen in pulverem redactum furfuratas capitatis radit : cum vino et nitro idem semen decoctum in aqua et potatum difficultates partus excludit : in aqua ad tertias decoctum , adiuncto melle , potui da ad omnem raucedinem in balneo mox ut coepit sudare : similiter contra tussim vetustissimam. Semen eius pari pondere cum lini semine tritum in mulsa coctum , stomacho inpositum , febres acutas conpescit.

\* Ita cod. 41. Ancesta, id est crozentella , hoc est sclataollas \*. Radix eius trita pota prodest dysenteriae.

42. Pentaphyllum , hoc est quinquefolium vel quinque digitorum. Suci eius cyathi III. strungulii suffocationes curant. Sucus eius cum vino serpentium morsus tollit : folia eius trita cum vino et adipe sine sale cancri vulneribus inposita, excreant: folia eius trita cum axungia , articulorum vitia et luxaturas sanant.

43. Pentaphyon , id est gudubal , qui et pedes leonis dicitur , simulat millefolium. Frutice eius sine radice cocto in aqua/nymphali , luna crescente , lavato eos qui maleficiis adpetuntur ; et fumigabis in domo silenter de radicibus aristolochiae.

\*Ind. botr. 44. Butracion\* , hoc est apium agreste , sive apium risum , collectiones omnes , vel siquid volueris sine ferro incidere , solvit. Radices eius tritas in corio nucis impone: folia eius trita cum axungia sine sale vulnera veterrima curant : radix eius commasticata dentium dolores tollit ; radices eius tunsas in corio nucis ischiaticis et arthriticis impone : tumorem deducunt. Ideo antiqui sideriten vocant , quod sic carnem incidit ut ferrum.

45. Pulegium quam vim medicaminum habeat, mul-

ti ignorant. Duo genera sunt ; masculum , florem habet album ; femina , rubeum sive purpureum , estque calidissimum. Habet aliquid mirabile in se , quod maximis caloribus floreat , cum fere aliae herbae arescant. Caput ne ab aestu concalescat *facit*. Ferunt quod si hieme sub aure portetur , nec gravitudo sentiatur nec perficitio. Ad dolorem infantium intestinorum , pulegium et cymignum tritum in aqua bibatur , et super umbilicum ipsas herbas tritas impone : tritum in aqua calida dato ; sanat stomachum : maceratum cum aceto potatum , nauseam stomachi sedat. Si autem infans in utero mortuus fuerit , pulegii ramos tres recentes , qui odorem habeant , tritos in vino veteri , quartam partem quartarii da bibe re ; sanabitur. Ad tertianas , pulegii ramulos tres involvis in lana ante accessionem. Si coronam in capite habuerit , dolorem tollit. Si mulier minime purgatur , pulegium pondus semunciae in oxo , cyathos duos , da bibe re. Ad ventris dolorem , pulegium in aqua fervente maceratum tamdiu donec bibi possit , optimum est : item masticatum et umbilico colligatum , dolorem tollit : corona ex ipso dolorem capitum tollit : ne in nave nausees , pulegio et absynthio et oleo et aceto nares frequenter frica : decoctio eius hausta menstrua movet , foetus discutit , secundas provocat : contra nauseam vel intestinorum torsiones siccum tunsum cum pusca bibe , ut per alvum nigra fella deducat : cum vino acceptum serpentium morsibus subvenit : deficientes cum pusca trita apposita naribus recreat : cum polenta trita cataplasma , omnes fervores tollit : podagricos sola trita et inposita iuvat : cum ceroto mixta papulas in facie siccata : decoctio eius in corpore inficta pruriginem sedat : ad vesicam vel calculum , pulegium bene tritum cum

vino cyathos II. ieiunus bibe , et continuo in solum descendat ; frequenter factum proderit. Siquid circa cor vel in pectore dolet , pulegium glutiat ieiunus cum acetato , cyathos duos. Si spasmus fuerit , tum in aceto cyathos duos ieiunus bibat. Si mulier opticuerit \* , pulegium

\* Ita ced. in pulverem redactum lana convolutum subiciatur. Ad morbum articulorum pulegium in oxymelle , quartarium cyathos II, ieiunus bibat , et eiciet bilem et saniem albam , et facit ut facile respiret. Ad splenis dolorem , pulegium et acetum coctum calida permixtum pota. Vide ne praegnanti pulegium dederis. Ad ischiadem vel coxarum dolorem , pulegium et piper aequis ponderibus tritum in balneo perfribabis ubi dolet.

46. Iusquiami , qui dicitur insana , genera sunt III; unum flore purpureo , minoribus foliis , calyculis duris et spinosis , nigro semine. Aliud florens ut malva , foliis et calyculis mollioribus , semine rufo ; haec utraque periculosa sunt , et insaniam faciunt. Tertium genus magis lanuginosum , et floribus et semine albo , nascitur quam maxime humectis locis ; hoc namque medicinae aptum est. Sed si hoc non potest invenire , rufum melius est , quia nigrum fugiendum. Hoc est albo semine , et cum omni corpore teritur : sucus eius in sole siccatus , eodem anno vim medendi habet : et ex semine eius sucus cum aqua calida candem vim habet. Semen eius cum farina mixtum ex aqua modica temperatum , oculis fervorem et dolorem sedat. Radix eius si in aceto trita coquatur , in ore tenendo , dolorem dentium sedat.

47. Artemisiae , hoc est zygiberis , genera sunt III , monoglossa , tagantes , leptaphyllos. Monoglossae folia trita cum axungia podagram mitigant. Tritam in mul-

sa pota contra intestinorum tormenta. Tagantes vel quinque digitorum , trita cum foliis , ad vesicae dolorem , si febricitat , ex calida ; si non , cum vino , in oleo cocta unguito nervorum et coxarum dolores. Leptaphyllos trita cum vino potui data matricis dolores tollit : cocta in aqua cum absynthio ad vaporem eius , matricis causas a partu dolores intestinorum pondere tollit. Sucus eius pectini superpositus menstrua movet : decoctio sive sucus eius , aut pulvis ex ipsa , in aqua calida si bibatur , eadem praestat.

48. Mentastrum a Graecia calamita vocatur. Suci eius cum vino mixti cyathus I. in auriculam conicottus , vermes natos necare creditur. Elephantiosis folia eius adhibe ad manducandum.

49. Satyron , Romani priapiscum *dicunt* , quod et tentaticon , id est mazicinum , quam vulgus extingun vocat , alii gartcolon. Si quis venerem non potuerit adire , testiculum dextrum , qui maior est , cum piperris longi granis XLIII , ut in se habeat dimidiam unciam et herbae superscriptae , mellis ½ IIII. in vino optimo medicamen solvis pondus scripulos VIII; per triduum sumat. Colligis eam in mense iulio. Radix eius trita cicatrices nigras tollit et dolorem.

50. Aristolochiae , id est falternae hoc est raiæ , genera sunt III, id est nodosa , longa , et rotunda. Radix eius cum veneno potat , si quis venenum biberit , et *contra omnium venenorum morsus*. Radix eius in pulverem redacta , omnia vulnera saniosa curat : infantium pavores vel aegritudines sedat. Ex radice in carbonibus fumigato. Ad fistulas , radicem eius in epirum \* incito. Ad \* Ita cod. cancromata et polypum , naribus radicem eius cum cypéro et draconitac semine , melle commixto , incito.

51. Cardami agrii , id est nasturtii agrestis , folia cum lomento trita inducta , duri tam paniculorum spar-gunt. Semen tritum in aqua cola ; naribus iniectum, san-guisugas eicit.

52. Tridagras , hoc est lactucae sylvaticae , sucum cum melle acapno sine fumo collectum , et vino vetere mixtum , et felle vulturis , teris et recondis in ampulla vitrea , et uteris : omnes caligines et suffusiones oculo-rum sanat. Multi bene sarraciam vocant quod dorsus eius in modum serrae est.

53. Buglossa , hoc est lingua bovis , id est sibissiso-  
\* Ita cod. ne \* , ad tertianas sive quartanas : ad tertianas III. ramos ; ad quartanas IIII. ex mulsa pota. Folia eius trita tumo-res tollunt : in vino potata hilaritatem faciunt. Linguam bovis cum melle et pane tritam vice malagmatis inponi-nis ; mirifice rumpit apostemata.

54. Heliotropiae , id est solisequae , id est intybi agrestis , sucus ex vino potatus venenum excludit : folia eius tunsa luxaturas sanant : in cibo aut in potu sumpta stomachi dolorem tollunt : sucus eius cum vino potui da-tus varietates corporis tollit : semen eius cum vino ter-tianas et quartanas tollit : trita cum axungia omnes col-lectiones tollit , strumas , furunculos , parotidas. Haec et verrucaria dicitur , quod extinguat verrucas sive po-tata in aquae sextario sive in cataplasmate.

55. Polytrichus , sive adiantus , hoc est coriandrum agreste , sive capillus Veneris. Folia eius cum pipere et vino potui dato ; collectiones sanat : sucus foliorum eius alopecias capillis provocat : in ius gallinaceorum commi-xta venerem nimium solutam provocat.

56. Codii agrii , hoc est papaveris agrestis , genera-sunt II, album et nigrum. Sucus calycolorum eius cum

foliis suis epiphoras oculorum curat : semen eius cum aceto tritum , hemicranium curat : in aqua tritum , capitum dolorem tollit et somnum facit. Est et aliud tertium genus capite grandi oblongo , efficacissimum somni.

57. *Bryonia* , id est *vitis alba* , sive *avena* , hoc est *nossa* , *alba* efficax. Radix eius ex vino potata spleneticos per urinam digerit ; trita cum melle podagram mitigat , et omnes tumores tollit.

58. *Myriophyllum* , quod et *balasticon* , seu *centifolium* , omnia vulnera antiqua sinuosa curat pulvis et flores eius. Flos eius tritus cum butyro vulnera oris et dentium curat : folia floresque eius trita cum lacte mulieris albores oculorum tollunt.

59. *Cissi* , id est *hederae* , genera sunt multa ; *alba* , efficacior ; omnium frigida virtus. Sucum eius cum acetato et rosacio fronti infinito ; capitum dolorem tollit : folia eius trita cum mulsa calculos expellunt : grana eius cum vino potata trita , spleneticos curant : radix cum vino , *phalangionis* morbum. Sucus infunditur ad narium foetorem ; mixtus cum vino auribus infusus , surdos emendat : cum rosacio aurium dolores et tumores tollit : addito acetato , ungue cervicem , dolores tollit. *Cissi melanæ* , hoc est *hederae nigrae* , bacae VII. aut XI. tritae in aqua calculos frangunt. Sucus eius cum acetato et rosacio si cervicibus inunctus , omnes dolores capitum tollit , et ne a sole doleat iuvat.

60. *Hinola campana agrestis* dicitur *parachironia* , ab aliis *centaurea* , *panachilinon* , *helena*. Ad vesicae dolorem ipsa , et apii semen , et asparagi , *foeniculi* radices , in unum trita tepido potui data , efficaciter prouunt : a ieuno commanducata , dentes confirmant : folia eius in vino trita ad lumbricos inponantur.

61. Asterii , id est cucumeris agrestis , bacas si deridis manducare luna decrescente , cum *sol* fuerit in signo virginis , et ipsa herba in collo suspensa , remediabitur cadivis. Ad spasmum , ut supra diximus , portet secum.

62. Serpyllum a Graecis dicitur gigus , ab aliis pollution , ab aliis cicer erraticum. Ad capitidis dolorem sucus eius cum oleo et sale frictus , bonus est. Serpyllum decoctum in aceto linitur temporibus et fronti. Ad conustum , serpyllum et ancusae surculus  $\frac{1}{2}$  I, spuma argenti  $\frac{1}{2}$  III, et rosa ; haec omnia teris cera punica , adipe anserino et ursino et cervino lib. ; simul coques , colabis , et uteris.

63. Absynthii ad periculum fungorum sucus cum aceto bibatur : ad livores tollendos absynthium in aqua decoctum superliga ; si corpus . . . fuerit , cum melle. Ad lumbricos , absynthii et marrubii et lupinorum paria pondera in aqua mulsa decocta aut in vino , in limbis aut in umbilico posita necant lumbricos. Folia absynthii contusa auferunt dolores corporis vel contusiones.

64. Tithymali , seu lactariae , genera sunt II; masculum carcios dicitur , femina misimiten vel carbicen vocatur. Licet varia sit figura , una tamen in catharticus vis eorum. Lactis tithymali drachma I, cum aceto et aqua potata , ventrem cum phlegmate et felle deducit : si autem cum mulsa accipiatur , etiam vomitum provocat. Aestatis tempore colligitur , et sucus eius intra vas fistile reservatur. Cum herba , farinae pilulae ad modum herbae factae , et lacte eius conspersae cum melle decocto involvi debent , ne fauces exasperentur ; bene solvunt. Suco eius recente inlito , capilli excidunt ; et si

saepius inlinieris, numquam renascuntur. Fistulae etiam cavorum dentium idem sucus infusus dolorem sedat. Observandum ne linguam addüret. Lac eius mixtum cum botracii suco verrucae suppositum, tertia die sanabit. Flore eius cum resina decocto leprosum superinungue: sucum radicum eius in vino coctum fistulis incito.

65. Saxifrica, quam Graeci adiantum vocant, alii scolopendriam, trita in vino, aut si febricitet in aqua calida, calculos frangit.

66. Cynoglossam, quam Latini linguam caninam vocant, alii lucreon, alii spleneticon, contra morsum serpentis in vino pota et aqua. Ad aurium vitia, sucum eius cum passo et oleo tepefactum instillato.

67. Brassicae agriae, hoc est caulis agrestis, folia cum axungia trita malagma inposita, omnes tumores tollunt, et podagram refrigerant, et laterum dolori subveniunt.

68. Hylorhodi, hoc est rosae agrestis, fructus in calida potatus praecordiorum et thoracis dolores tollit: flos eius tritus in calida spleneticos curat, et per urinam digeritur: corticem eius tritam cum aceto super splenem ponito: radix eius in pulvorem redacta omnia vulnera curat, et canino morsui vel rabido subvenit.

69. Ampelos agrios, id est agipos, sive vitis agrestis, alba, efficax, candidis foliis, radix ut raphanum in calida potatur et urinam movet. Radix eius trita lentigines et maculas tollit: in vino potata cum pipere comitiales morbos et morsus omnes tollit: trita inposita, ossa fracta glutinat.

70. Britannicae, id est betae agrestis, succus omnia vulnera oris curat, dentium dolores tollit, paralysin in

vino pota ; cum vino et melle trita oris foetorem emendat : in cibo sumpta vel potata alvum et urinam movet : radix eius in vini cyathis III. spleneticos curat.

71. Camilae agrestis genera sunt duo ; maior , ut folium foeniculi ; minor , ut anethi. Flos eius cum semine in oleo coctus sudorem nimium restringit. Ad corpus dolens , sive nervos , et ad capitinis dolorem sine febre , florem eius in oleo coques , et inungues corpus.

72. Chamaedryos , vel chamaranti , florem purpureum tritum in vito pota ; convulsos et intus ruptos sanat : ad omnes morsus serpentium et venenorum et ignem sacram cum vino pota : trita cum calida podagrericis pare-

\* Ita cod. goridiat \* mire.

73. Petroselinum , hoc est petroselatum agreste , calidam et siccam virtutem habet : tunsi cibrati drachma I. cum vino urinam et menstrua movet : coli et intestinorum dolores mitigat.

74. Symphyton , id est anagallicum. Ad omne profluviū , sive narium , vel sanguinem vomentibus , dysentericis : ad haemorrhoidas , radices eius in pusca tritatas potui da.

75. Ampeloprason , id est aritillum , in vineis nascitur : folia porri similia , non grandia , trita , morsui canino succurrunt , urinam movent.

76. Cromeon agrion , hoc est caepa vel civa canina , trita in vino morbum regium curat : trita cum melle morsum caninum antiquum tergit : semen eius in vino venerem movet.

77. Euzomon agrion , hoc est parietaria perditalis , eruca agrestis canina. Podagrae fervori tritam cum axungia sine sale inponito : semen eius in condito venerem movet.

78. *Leuciae*, id est *violae*, genera sunt III, purpurea, albida, et subnigra, una vis. Cocta cum radicibus suis in cathismate vaporato torsiones matricis curat: folia eius trita cum *axungia* vulnera antiqua sanant. *Viola*, cuius est color milius maxime medicamini apta, menstrua provocat. Folia eius tunsa et ceroto mixta rhagadiam curant: cum melle mixta cancrum dentium, quo dentes fleguntur, sanat: seminis eius drachma I. cum melle triti genitalibus adpositi menstrua movet: radices eius podagricorum pedibus adligatae prosunt.

79. *Cyclamini*, id est *cymbalariae*, sucus cum melle mixtus naribus iniectus caput purgat. Ad hepatis et splenis dolores radices eius cum pipere et vino pota.

80. *Personacie*, id est *lappae*, flos tritus in pupsea spleneticos, in mulsa calculos: cum sale morsui canis subvenit.

81. *Eutychiae felicis*, id est *scillae*, radix trita vulnera veterima curat: folia eius trita cum *axungia* testium tumores tollunt.

82. *Scolopendria* cocta cum menta et apio potuum periculum vitat.

83. *Libanotis*, hoc est *rosmarinum*, Latini salutarem vocant ob effectum \*. Ante quam tus scirent, de hac herba omnes deos placabant. Radix eius commasticata dentium dolorem tollit: oleo cocta unguito corpus languentis, emendat: trita cum vino pruritus impetigines ut araneas exterget: in aqua ad tertias decocta cum spica nardi, hepatis dolorem tollit. Pulverem eius in ovo sorbili da tussientibus: trita cum pipere et melle pulmones sanat: flos eius tritus cum melle acapno albores oculorum tollit.

84. *Polypodium* nascitur in teneris petrarum ter-

ris , sive quercubus veteranis. Radix eius in mulsa cocta , cum pipere trita , ventrem sine mora deducit , choleram purgat et phlegma , urinam movet ; et cum pulli iuscello coctae radices superdantur.

85. Radiolum , id est felicina , cum punctis aureis contusum ante curiose depurgatur : cum aceto scillitico decoctum inunctum capit is dolorem tollit. Radicis eius evulsae cum cortice , depurgatae , coctae cum malvis , ius bibe ; sine taedio ventrem deducit. Huius radioli radices purgatae , per triduum infusae in vinum et potui datae , quantum est medius calix , hoc idem faciunt.

86. Lathyridis , hoc est septigraniae , grana VII. in mulsa devorata ventrem deducunt et phlegma , vacuant et humores cerebri. Folia eius cum pullo cocta cathartica sunt.

87. Sycoagrii , id est cucumeris agrestis , sucum in aures instilla dolentes : radix eius cum polenta trita tumores spargit : cum melle et aceto cocta et trita podagrericis cataplasmo : radix eius in oleo cocta per clysterem ischiatricos curat : et araneas in balneis perficato : radicem eius tritam linito ; lentigines et omnes impetigines curat : suci radicum eius drachma , hoc est scripuli tres , ventrem deducunt , et omnes humores et phlegma : hydropicis de suco radicis eius cum cucumere electuarium \* conficitur : folia trita umbilico adposita lumbricos excludunt , et alvum concitant : succus radicis eius mortuos foetus excludit : contra rabidos morsus ex calida pota : succus eius naribus infusus ictericos sanat , et omnia venena expellit: radicem eius cum axungia tritam podagrericis impone , tumorem tollit.

\* Cod. al.  
*elaterium.*

88. Herpylli , hoc est ciceris agrestis , radices in aqua cocta ad urinarum difficultates et ad spleneticos.

89. Tridacon lagion , id est lactuca leporina , id est piligis. Sucus foliorum eius combusturas sanat.

90. Molocha agria , id est malva agrestis minor , quae cum sole gyrat. Folia eius trita cum modico sale et melle collectiones in angulis oculorum , velut tubera quas aegilopas vocant , spargunt. Sucus eius cum oleo inlitus percussum apum et vesparum compescit : trita cum lucio capitis acoras tollit : folia eius cocta et cum oleo trita combusturas curant. Calida ubi coixerit , supersedeat mulier , quae suffocatur a matrice. Radicum ipsius cum sale et oleo coctarum sucum sorbendum da ei qui venenum biberit. In cibo sumpta lactem de mamillis provocat. Semen eius tritum cum bacis lauri in vino vesicae dolores tollit. Cum axungia trita nervorum dolores tollit , et tumores spargit.

91. Prasii ; hoc est marrubii , recenter triti sucus exprimitur : melle admixtum et leviter decoctum , tribus cochlearibus , multis diebus , phthysicis , tussientibus , suspiriosis da. Decocti turiones cum irii radice in multa potati crassum et concretum phlegma evacuant. In aqua decoctum datur contra difficultates partus , et secundas provocat , et ei qui venenum biberit , vesicae et renibus , et ad serpentium mortus. Sucus eius cum melle putredinem et vulnera curat : tritum cum axungia vetere adpositum lateris dolores tollit , qui ex labore fiunt : unguendo et tumores spargit : cum rosaceo aurum dolorem tollit : tritum cum melle scabias et impetigines tollit , caligines exterget. Sucus eius cum vino datus , dolorem stomachi tollit ; et si febricitat , in aqua calida datus. Marrubii et lupinorum farinam pari ponde-

re mixtam in umbilico impone, lumbricos oicit. Ad condylomata podagrae, hoc est nodos qui in iuncturis exeunt, marrubium combure, eiusque cinerem infrica, sanat. In aqua eius decocta corpus lava, scabiem et impetigines discutit. Ad pulmonum extensionem marrubium ex melle coctum sumat, et sanat. Tunsim cum axungia impositum omnes duricias sanat. Si quis lassus ceciderit in languorem, et nervos doluerit, cum oleo rosaceo permixtum inunge; sine mora sanabitur.

92. Solagi genera sunt II, maius et minus. Contra scorponis ictus in aqua cocta potatur; lumbricos necat et excludit; simulque folia eius trita umbilico impone.

93. Cindii, hoc est p<sup>r</sup>ticae, genera sunt duo. M<sup>a</sup>sculus ustulat; femina cum sale trita morsui canino, ulceribus nigris, cancromatibus, furunculis, parotidibus succurrit, si cum axungia et melle fuerit trita. Semen eius cum aceto tritum splenis duritiam tollit: tritum in ova sorbili tussientibus prodest, vessicam purgat et ventrem: tritum cum nitro vino melle et oleo omnes immundicias et furfuras capititis tollit. In layacro utere.

94. Staphyos agriae, hoc est herbae quinque digitorum, grana XV. in mulsa trita et aceto modico, cum pulvere masticis gargarizata, omnem humorem capitum deducunt. Grana VII. trita in mulsa potui data, humores purgant per vomitum: sed post potum prius deambulet quam vomat; et post acceptam potionem oportet mulsa sorbere glutios III, et gargarizare, ne fauces inurantur. Semen eius tritum cum portulaceae suco et oleo, pediculos, pruriginem, et scabiem capitum deducit: in oxymelle tritum dentium causas et sordes curat: tritum cum melle vulnera oris et gingivarum vel faucium curat cum pinna perunelum.

95. Thérmosurinos , hoc est lupinus agrestis , tritus cum ervo in pusca datus lumbricos et tineas eicit : tritus cum axungia umbilico infantis impositus lumbricos eicit : in aqua coctus alopecias infantium lavat : in domo aspersa pulices necat.

96. Calamos agrios , hoc est calamus agrestis , id <sup>\* Cod. al.  
ferla.</sup> est ferca <sup>\*</sup>, tunsus cum axungia mamillares tumores tollit et omnes collectiones : fructus eius cum urticae semine et aceto vulnera curat quae ex nimio frigore exulcerata sunt.

97. Scillitici bulbi medium , quod est album , minutum incisum in oxymelle coctum , cochlearia II. dato cum calida , hydropicos per urinam desiccat : in oleo coctum pulmones curat. Radix eius trita cum aceto paronicias sanat : fit ex eadem acetum scilliticum ad multas causas. Bulbum eius tritum imponito ad omnes morsus venenatos , et per singulas horas renova , donec quiescat dolor. Sucus eius cum melle infusus narium foetorem tollit : in oculos infusum , aciem tergit.

98. Bulbus agrestis , quem in cibo sumimus , et hieron bulbum vocamus , tritus cum adipे caprino articulorum dolores tollit : cum lomento lupinaceo impetigines tergit : cum uva passa et nucliato limacis et lomento fabacio fracturas glutinat : tritus morsibus omnibus proficit : coctus in aceto ex melle geniculorum tumores tollit.

99. Narcyssi flos in caput infusus cum oleo dolorem tollit : in plaga bulbum tritum in linteo inductum imponito : bulbum eius incidis in rotundum , in merum intingis , impetigines sive livores fricabis : tritus cum melle combusturas sanat : cum farina et melle sagittam sive sudem extrahit.

100. Asphodelos , hoc est albucium. Radix ipsius drachma I, cum vino , menstrua movet , dolorem latereum mitigat , tussim conpescit , et contra ictu laesos qui interius dolent. Bulbum eius tritum serpentium mortibus imponito , et vulnera sordida expurgat. Sucus radicis eius cum ture et melle vino tepefactus , aurium vulnera curat : sucus eius infusus in aurem aliam ubi dolor dolentis non est , mitigat : radix eius combusta alopecias expargit , capillos nutrit ; oleum autem quod in radices eius excavatas igni superpositum fuerit coctum , combusturis et pernicionibus prodest : surdorum quoque auribus instillatum , velocem reddit auditum. Radix eius trita maculas albas , hoc est varietates, tollit: flos eius cum vino potatur contra venena scorpionum : radix eius trita morsui imponatur.

101. Colocynthis agria , hoc est cucurbita silvatica, id est galala ; interius quod est semen separatum scripul. I. cum mulsa tritum ventrem purgat , cholera , et phlegma : cum melle et nitro et myrrha catapotia sunt cathartica. Ipsae autem cucurbitae confranguntur , et in aqua coctis ischiaticos clysteriabis , phlegmata et sella deducunt : tritae in umbilico positae praegnantium foetus discutiunt : in ipsa sphaera vinum coctum , circumligata argilla ne ardeat , potatum hydropicos desiccat.

102. Hynia , hoc est tubera , trita cum melle omnes tumores tollunt : in aqua cocta calculos frangunt et urinam movent : trita cum axungia parotidas curant.

103. Draconteae semen tritum expressum cum oleo instillato in aures dolentes. Sucus eius purus in aquam infusus naribus polypum excidit ; cum melle odorem foetidum naribus emendat , et cancerum excacat : semi-

nis eius grana XXX. cum pusca partus discutiunt : radix eius thermantiae virtutis est ; in mulsa cocta suspriosos iuvat , et iumenta quae sumpserint : radix eius cibrata cum melle mixta tussientibus catarrhum et phlegma in pectore movet et excludit : dato cochleari I. cum vino urinam movet et ventrem : radix eius trita cum melle et radice vitis albae , sanat vulnera cancosa : suco eius in umbra siccato coluria syringia faciant ; si injecta fuerint in pudenda mulierum , partus discutiunt. Radix draconetae siccata cum oleo catarrhum et phlegma in pectore conclusum discutit : si quis hanc radicem manibus confricet , serpentes sine periculo comprehendet : cum aceto inlita varietates corporum exterget : folia eius trita vulneribus recentibus prosunt : cocta in vino perniciones sanant : sucus radicum eius caligines tergit : contra omnia venena et morsus serpentium radices eius tritas cum vino pota : radix eius trita cum axungia ossa fracta de corpore abstrahit : si quis venenum acceperit , dracontea cocta in vino statim potata sanabitur. Si vermes nascuntur in homine aut in pecudibus , radice eius superalligata , moriuntur. Colliges eam mense iulio.

104. Camilia , hoc est turbiscum , habet folia similia oleastri sed amara , quae in mulsa potata ventrem solvunt , et phlegma et fella deducunt : cum melle trita , vulnera sordida curant et cicatricem. Semen eius siccum , quod cucunidim dicitur , in ovo sorbili grana V. dato ; catarrhum et tussim antiquam tollit : grana commasticata dentium dolorem tollunt.

105. Amiliae , hoc est cardui fullonici , sucus hepaticos curat , si non febricitant , in vino : similiter et hydroponicos. Inveniuntur in cacumine ipsius vermes quatuor , qui in cubito dextri brachii ligati quartanas arcent.

\* Ind.  
sapo. 106. Rapa \* si frequens comedatur, stomachi inflationes facit : calida\*, ubi coxerit, podagricum fove : semen eius in vino tritum contra serpentium morsus pota.

107. Rhododaphnes, hoc est libraces , sucus ex foliis vermes in vulneribus necat : cinis ligni eius cum melle mixtus , caligines tollit : in oleo cocta , scabiem tollit.

108. Scoliismus , hoc est carduus niger , tritus cum melle et axungia , ossa capitis fracta extrahit , et perniones curat.

109. Chamaereon , hoc est carduus silvaticus , stomachi dolorem ieiuno tollit.

110. Personacia , hoc est lappa , viridis tunsa articulorum dolorem tollit : radix eius in mulsa cocta , calculos excludit: cum sale trita , morsui canino succurrit : folia eius combusturas curant.

111. Capparii , hoc est lappae herculianae , radix trita cum sale morsui canino succurrit : sucus radicis eius vermes curat : turiones eius in acetum infusi per multos dies commixti , stomacho prosunt : radix eius cum ceroto mixta spleneticos curat : radicis eius tritae siccae drachma I. cum vino in balneo spleneticos per urinam digerit , et calculosos iuvat: in oleo decoctam paralyticis et ischiaticis per clysterem inicito : similiter et aurium dolorem tollit.

112. Althaea , hoc est hibiscus sive malva asinina , in mulsa cocta trita omnes collectiones et tumores qui nascentur in corpore , cum foeno graeco et lini semine imposita spargit : in vino cocta foyeto hoc vitium : sucus radicum eius in aqua coctarum , admixto adipe anserino , et terebentina , modicus in lanam iniectus , matricis fervorem et praefocationes tollit : radix eius in vi-

no cocta potui *data* difficultates urinarum tollit , et calculosis et ischiaticis in pusca et colicis prodest , dentiumque dolorem tollit : semen eius tritum cum aceto in sole infinito , maculas corporis tollit : radix eius in aqua cocta per clysterem disentericos et fluxum ventris curat : semen eius in vino coctum , apum et venenorum vulnera curat : ad suffocationes matricis , et ad dolorem testium vel veretri tumorem aut duriatas operatur , si cum axungia radix eius cocta in aqua fuerit trita et inposita : folia eius trita cum oleo usturis medentur : cum axungia vetere podagrae et geniculorum dolorem tollit : radices coctas in aqua soveto , et ipsas cum axungia ligata super plaga ; in aqua cocta intestina soveto.

113. Narthecis , hoc est ferulae , suci drachma I. in vino alvum movet et venena excludit : cum melle attico caligines tollit : semen eius caerios dicitur , tritum in vi-  
no potui *dato* in lavaero , morbum regium sanat : cum pipere et lauri bacis in oleo tritum , omnes dolores ex frigore natos sanat.

114. Silion , hoc est puligaduria : seminis eius acetabula IIII. pars heminae est adpendens drachmas XII : cum aqua tritum , ut emplastrum , collectiones omnes et parotidas sanat : tritum cum aceto umbilicos maiores infantium reprimit : folia eius trita cum rosaceo ad capitidis dolorem fronti infinito : semen eius cum aceto hemi-  
cranium sanat.

115. Helenium , hoc est inula , cum melle tritum tussientibus medetur : a ieunis commasticatum dentium dolorem tollit : folia eius in vino trita contra lumbricos inponuntur. Ad vesicae dolorem inulae campanae , apii semen , et asparagi foeniculi radices in vino tritas et tepidas potui *datas* efficaciter prodesse dicimus.

116. Polion floribus candidis , ut cani hominum , ideo polion dicitur. Ad epilemicos et lunaticos cum acetō scillitico ante accessionem potui da.

117. Paeonia nocte lucet , hastula rubra in modum thyrsi , inventa a Paeonio. Si hanc lunaticus secum portaverit , numquam ei malum accidit. Ad ischiaticos radicis partem alligabis ; lumbo qui patitur circumcinges. Si eam in navi habueris , tempestatem conpescit , si mundus utaris : radix alligata collo lunaticis et ischiaticis proficit.

118. Bryonia , quam quidam dicunt rosam asinariam , eadem et glycis ob dulcem saporem , longos ramos de se in diversa mittens. Masculus habet folia in modum nucis ; semen quasi olusatri , grana habet rosea , aliqua vero nigra , radicem candidam similem digitis longis , gusto styptico , unde a quibusdam dactylus dicitur a digitorum similitudine : vocatur et penterupina a numero granorum quinque : balani sementes mittit , quasi albucius. Radix eius sicca cibrata cum vino mulieres post partum purgat : dolori quoque ventris prodest ; nephriticis et vessicae dolentibus vinum , in quo radix eius coixerit , medetur: grana eius rosea X. relaxationem matricis constringunt : pueris sanitatem ex calculo reddunt : eadem grana rosea comeduntur contra dolorem stomachi ; nigra vero trita cum aqua inguinum dolorem tollunt.

119. Mandragora dicitur et apollinaris : genera sunt duo , masculus et femina ; sed semina rubea , masculus vero albidiōr , sed una virtus. Cum polenta trita impo sita , fervorem oculorum mitigat , et collectiones ac duritias spargit , et ulcera sanat : radix eius cum acetō trita ignem sacrum curat : cum melle et rosaceo tritam in-

pone serpentium morsibus : cum polenta articulorum dolorem tollit et sanat. Corticis radicum eius libras III. vino mixtas in amphoram mittito et reponito ut maturescat : exinde dato potui IIII. cui aliquid secundum est : mox ut biberit , saporem facit et incisionem non sentit. Mala eius odorata phreneticis saporem faciunt , si cum radicibus eius in vas fictile sole cocta , ut assidue agitantur , donec in crassitudinem mellis veniant , ad medicinae usum reponatur. Radices eius siccae et tuncae omnibus vulneribus medentur. Semen eius in vino da potui arthriticis et nauseantibus. Huius herbae feminae folia similia lactucae : ipsa mala generat. Masculi vero folia similia betae.

120. Squilla campestris , quae rosea est , vitari debet ; montana vero , quae alba est , potius eligenda. Si fermento aut argilla inclusa coquatur in furno usque ad magnum mollitiem , tunc omnibus eius tunicis projectis , et quod medium est in frusta concisum , aqua coquatur saepe mutata , usque dum nec salsa sit ipsa aqua nec amara : postea partes ipsae lino per intervalla inserantur ne se tangant , et in umbra siccentur : hanc unam partem tritam cum salis assi partibus octo , aquae hemina I, ventrem et bilem dedit , urinam provocat , hydropicis , stomaticis , ictericis , torsionibus intestinorum , suspiriosis , flegmaticis prodest. Si tres scripuli triti cum melle coquantur , et quantum unum cochlear acceperit , omnia eadem faciunt : sed maxime stomacho prosunt ad digestionem cibi. Semen eius tritum cum melle attico ventrem solvit.

121. Ordivelium , hoc est verbena , cum foliis et omnibus radicibus tritum serpentium morsibus medetur. Vulneribus quoque bene adponitur. Foliorum eius una

cum thyrsis scripuli III, cum vino vetere calido , ieiuno per quatriduum dentur; arquaticis prosunt. Folia eius trita in modum cataplasmati tumores et fervores mitigant: putredines quoque oris et faucium herba tota in vino decocta et gargarizata serpere ad interiora non patitur : tertianis medetur si diu nuces tres teneantur , ad quartanas autem quatuor.

122. Psyllion, sive pulicaris, virtutem habet frigidam: huius semine acetabulum plenum teratur et in aquam duabus cotylis missum , quando coagulaverit , inpositum parotidas et omnes collectiones , infantium umbilicos prominentes sanat.

\* Ita ccd. 123. Gramen, hoc est agrestis , sive asefolium \*. Gramen decoquis , cum eius flore teris , et in panno lineo inponis ad splenem ; statim senties beneficium. Gramen quidem in se trifolium habet , et in plura dividitur : de crescente luna sublatum , quantum volueris , habeto diligenter. Lippis incipientibus ad collum ligatum celeriter inpendentem epiphoram discutere creditur. Radices eius decoquis ad tertias in vino , et inde dabis plenum calicem ieiuno bibere per triduum ; splenis dolorem et urinam solvit.

124. Bryonia a Graecis dicitur ἀμπελος λευκη , a Romanis abutaminium , ab Italis vitis alba. Ad splenem in cibo data per urinale digeritur. Haec herba tam laudabilis est , ut in theriacas potionem mittatur. Si in capite ponas vel in cinctu eam portaveris, nulla te mala contingent.

125. Erigonon, quam Latini senecionem vocant.

*Explicit lib. II.*